



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**S. Augustinus, Episcopus in Africa Hipponensis, Veritatis  
Evangelico-Catholicæ In Potioribus Fidei Controversiis  
Testis Et Confessor, Contra Bellarminum Et Alios  
Scriptores Papæos, antiquos pariter & ...**

**Reiser, Anton**

**Francofvrti, 1678**

Controversia quarta De Ecclesia triumphante.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72506](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72506)

de occultis, quàm litigare de incertis. *Illum quippè divitem in ardore pœnarum, & illum lib. 8. de  
pauperem in refrigerio gaudiorum intelligendos esse non dubito. Sed quomodo intelligenda Gen. ad  
sit illa flamma Inferni, ille sinus Abrahæ, illa divitis lingua, ille digitus pauperis, illa sitis tor- lit. cap. 1,  
menti, illa refrigerii stilla, vix fortasse à mansuetè quærentibus, à contentiosè autem cer-  
tantibus nunquam invenitur. Habeat hæc sibi Bellarminus, superciliosè in hisce talibus  
contra modestiam augustissimi Doctoris definire conatus; qui dum porrò de gravitate  
pœnarum in Purgatorio agens ad auctoritatem Augustini provocat, scribentis, gravio-  
rem fore Ignem Purgatorii, quàm quicquid homo potest in hac Vita pati; Perperam ad suum in Psal.  
Ignem Purgatorium trahit, quem Augustinus de eo tantum voluit intellectum, quem 37. vel 38,  
extincto jam Igne Purgatorii Bellarminiano in die Extremi demum Iudicii probabili-  
ter credit arsurum, & homines ante possessionem Vitæ & Beatitudinis æternæ à reli-  
quiis peccati purgaturum, de quo supra itidem non unâ vice actum. Quæ in ultimis  
capitibus de Ecclesiæ suffragiis eorumque usu pro defunctis iteratò adnectit Bellarmi-  
nus, examen ulterius, præter id, quòd supra ex Augustini mente institutum est, non  
requirunt, adeòq; nobis, sicut supra ex Monasterio, ita nunc ex Purgatorio, post ali-  
quam in eo moram, exire licitum erit, ubi unum adhuc addiderimus de necessitate cre-  
dendi Purgatorium non adeò rigorosâ testimonium Volvisti, hæc Evangelicis incautiori-  
bus persuadere omni modò conantis: Purgatorii veritas est Catholica, non tamen explici-  
tè & positivè eam quilibet credere semper tenetur. Excusantur ab hac credulitate (ferè le- Part. 1.  
gissem, crudelitate) rudiores, quibus nunquam fortè est proposita. In quorundam etiam castig.  
Sententiâ illi, qui recentè ex hæresi convertuntur, si suorum adhuc errorum aliquod pati- Cathol  
untur crepusculum (en, Elegantias Volusianas) & in reliquis quidem Fidei capitibus pal- p. 13, & 14.  
mariis, in quibus plene informati sunt, tamen Purgatorii veritatem non amplius quidem ne-  
gare præsumunt, ad sensum tamen positivum illi necdum præbent, interim in corde parati ad  
illum præbendum, ubi illis sufficienter fuerit propositum. Tales ceu in Fide infirmos, dummo-  
dò nulla fraudulencia, serium autem desiderium subsit proficiendi in cognitione hujus verita-  
tis, vix benigna Mater Ecclesia repellat, quemadmodum hæc in re cum Gracis diu condescen-  
dit, & cum Hussitis in Concilio Basileensi ratione Calicis.*

## Quartæ Generalis Controversiæ

DE

# ECCLESIA TRIVMPHANTE

## LIBRI PRIMI

CAPUT VNDECIMVM &amp; seqq.

DE

Cultu Sanctorum.

**B**ellarminus hanc Controversiam prolixissimè tractaturus omni jure præ-  
mittere & in antecessum explicatius significare debuit, de quibus prop-  
riè Sanctis agat, cum hoc Elogium non unis ejusdemque generis &  
speciei adscribatur, adeòque necessarium omninò fuerit generatim  
indicare, quinam sint hic ante omnes alios intelligendi, quibus ali-  
quem deberi cultum & venerationem probare voluit; quamvis si inte-  
gram hujus Controversiæ tractationem à Bellarmino propositam attendamus, ex eâ  
fortitan non magno cum labore eruere liceat Sanctorum definitionem, quos tanquam  
cultûs certi objectum Lectori commendavit. Videtur eam compendio exhibuisse alter  
præter Bellarminum Coeli Romanensis Atlas *Baronius*, in suis ad Martyrologium illius  
Ecclesiæ illustrandum Prolegomenis, hanc significationis apud Antiquos & recentio-  
res diversitatem indicans: *Etsi olim Sanctitatis titulus communior esse videretur, ut non  
solum, ut hodie, illis tribueretur Christianis, qui vitâ sancti in Cælo regnant cum Christo,* cap. 7.  
*sed*

Ff 4

sed

in Saule  
Ex Rege,  
cap. 69.  
Pag. 237.

sed & quibuscumque, laudabilioris vitæ fidelibus; datum tamen aliquando homini heretico, nemo jure poterit dicere. Non urgeo contra hæc, quæ nominatim contra ultimum Sannichium, præeunte Theophilo Raynaudo citavit, ex Augustino in primis, qui non modo Hilarium, Diaconum Luciferianum, nominavit Sanctum, ut utrumque respicere & ad Ecclesiam redivisse non constat; sed & frequentissime Sanctitatis titulum honoris ergo impendit, Episcopos Fidei oblatae aut vitatae adloquens, quamdiu eorum causa non erat desperata; neque descriptionem Sancti Baronianam ad hodiernum stylum Curie Romanensis formatam iis gravabo inconvenientiis, quibus idem Professor Lovanienis eam voluit obnoxiam, dum fideles Testamenti Veteris per eam existimavit videri exclusos, eos in Novo etiam Testamento fideles adhuc vivos, qui tamen in Epistolis Pauli sæpius hoc Elogio ornantur, Bartholomæo Lintrensi de hoc veterum Christianorum titulo in Apostolorum Acta Commentariis scribente, *dictos idè Sanctos, quia in Baptismo sanctificati eam sanctitatem retinere se profiteantur, multi etiam per DEI gratiam retineant, aut amissam statim recuperent, & quæ alia ibi prolixius adduntur; hæc, inquam, & similia jam non attendam, hoc solum Lectori Veritatis & orthodoxæ Antiquitatis studioso ad debitam commendans observationem, annon Baronius hæc descriptione suâ apertissime Apostasiam à veteri Ecclesiâ ac usu loquendi primis Christianissimi Seculis recepto in hæc etiam Quæstione fateatur, quem Augustini etiam tempore adhuc observatum fuisse, ex sequenti Ejus testimonio clarius meridiana luce patet, quod in *Vindiciis Anti-Ottonianis* adversario provocanti etiam fuit oppositum, dum Sanctus Pater Apostoli verba, quibus Corinthios per Lavacrum regenerationis dixit sanctificatos, hunc in modum illustravit: *Si sanctificatos dicit Apostolus, dicat & unusquisque fidelium, Sanctus sum. Non est ista superbia elati, sed confessio non ingrati. Si dixeris te sanctum esse ex te, superbus es. Rursus, fidelis in Christo & membrum Christi si te non dixeris esse sanctum, ingratus es. Dic tuo DEO, sanctus sum, quia sanctificasti me, quia accepi, non quia habui; quia Tu dedisti, non quia ego merui. Ex alio etiam latere incipis injuriam facere Domino nostro Iesu Christo. Si enim omnes Christiani & baptizati fideles in illo ipsum induerunt, sicut Apostolus dicit; si membra sunt facti corporis Ejus, & dicunt se, Sanctos non esse, ipsi capiti faciunt injuriam, cujus membra sunt sancta.* Illustre est hoc augustissimi Doctoris testimonium, ex quo satis manifeste constat, Elogium Sanctitatis illo tempore non ad alterum modò post hanc Vitam, sed & ad præsens in hæc Vita sæculum, id est, ad omnes verè fideles pertinuisse, neque ad Sanctos tantum in verâ Fide demortuos, ac cum Christo in statu Beatitudinis æternæ regnantes fuisse restrictum, quanquam de posteriori hoc non una eademque ut cæterorum Patrum, ita Augustini etiam fuerit sententia, quidquid etiam Bellarmino videatur, qui, dum eorum, & Augustini in specie testimonia ad liquidum deducere, adque suas trahere partes omni studio conatur, facit quidem, quod in suis habet viribus, sed, an satis ex asse menti Doctoris augusti & cæterorum Patrum faciat, Lectoris esto judicium, quia nos Evangelici hanc Controversiam contra Doctores Papæos non facimus nostram, in hæc Quæstione à Bellarmini sententiâ non discedentes, non tamen ignari etiam, id quod supra quoque in tractatione Quæstionis de Christi ad Inferos descensu fuit monitum, Montacutum, Scriptorem Angli, aliàs in non paucis Papizantem, ad ea omnia loca, quæ Bellarminus pro se citavit, prolixissime conatum respondere, cætera verò, quæ in contrariam laudavit Sententiâ, à responsionibus adversariæ partis vindicare. De ipsâ Sanctorum, quos ad Cultum commendat, canonizatione multa habet præter alios Bellarminus, quæ pleraque in *Vindiciis Anti-Thomisticis* ex Scripторibus quibusdam recentioribus legi possunt discussa. Ex omnibus id nunc præprimis ad Institutum præsens est notatu dignum, quod hanc Sanctorum Canonizationem, qualis hodie solet observari, nullo Antiquitatis Orthodoxæ, adeoque nec Augustini testimonio munire potuit Bellarminus, quin potius agnoscere debuit, Sanctos veteres cepisse coli in Ecclesiâ universali, non tam lege aliquâ, quam consuetudine, hæc tamen additâ notatione: *Sicut consuetudines aliæ vim habent Legis ex tacito Principis consensu, ita alicujus Sancti cultus ex consuetudine Ecclesiarum generaliter introductus vim habet ex approbatione tacitâ vel expressâ Summi Pontificis, quæ verba postmodum in recognitione librorum ita explicavit: Quod diximus, Sanctos veteres etc. Ita intelligimus, quasi in suâ etiam Provinciâ Sancti illi absque ullo Episcopali Decreto coli cæperint. Scimus enim, semper in Ecclesiâ Catholicâ morem fuisse, ut suo examine & judicio Episcoporum ne Martyres quidem publicè colerentur; sed quod dicitur volumus, est, Sanctos, qui colebantur in certis Provinciis ex decreto particularum**

vid. Sixt.  
S. Bibl. S.  
lib. 6. An.  
not. 345.  
conf. Mar.  
ref. Dissp.  
Tom. II.  
pag. 632.

pag. 386.  
seqq.

Episco-

Episcoporum, paulatim cepisse coli in aliis (etiam) Provinciis & in ipsâ universali Ecclesiâ, non tam lege aliquâ summi Pontificis, qui solus potest toti Ecclesiâ leges dare, quàm consuetudine ubique receptâ, & ab ipso Pontifice, consensu saltem tacito, adprobata. Addit, Quibus id non placet, proferant certius aliquod fundamentum, unde probetur, Sanctos plures in Ecclesiâ universa recte coli, cum nulla extent summorum Pontificum de eorum canonizatione diplomata, neque ulla historia de ipsorum canonizatione aliquid restentur. Egregiam scilicet recognitionem! Illustre nimirum hoc ipsomet Bellarminus præbet documentum omnimodæ circa Sanctorum Canonizationem incertitudinis, utut eam omni modo tollere, Sanctorumque cultum commendare conatus. Desistit videlicet certo quodam & infallibili fundamento, cui tutò & sine omni metu contradictionis vel ad minimum dubitationis possit inniti. Pari ferè labyrintho inclusum se fateri cogitur, dum ad locum quendam Augustino adscribi solitum respondere laborat, quo dicitur, *Multorum corpora honorari in terris, quorum anima torqueantur in Gehennâ.* Dicit enim, *locum hunc fortasse Augustini non esse, nusquam enim in Ejus operibus reperiri posse.* Pratercâ intelligi posse de impiis, qui honorantur superbissimis sepulchris, cum tamen anima torqueantur in Gehennâ; vel de corporibus sanctorum non canonizatorum, vel de corporibus fraude aliqua suppositis pro corporibus sanctorum, vel denique de Martyribus Donatistarum, qui ab hereticis honorabantur ut Martyres, cum eorum anima revera torqueantur in Inferno. Ita nimirum agi eos in gyrum oportet, qui, ubi pedem firmiter ponant, non habent. De ipso hoc Augustini testimonio quid habendum, in *Vindictis Anti-Thomisticis* ex occasione fuit indicatum. In genere, ut & hoc in antecessum liceat præmittere, de Historiis Sanctorum non ita pridem *Ephemerides Gallicanæ* hoc tulerunt iudicium: *Infinitæ ferè profant Sanctorum Vitæ, non verò omnes Veritati sunt consentaneæ.* Surius, Bollandus, Rosweidus, illique omnes, qui eas compilârunt, *majora tantum volumina componere, neque quidquam omittere laborârunt, præter optimarum rerum segregationem veriorumque selectionem; quo factum est, ut inter tot egregia atque illustria quadam quoque occurrant apocrypha.* Confirmârunt cometipso Eruditissimi Cenfores, quod Seculo jam præterito *Ludovicus Vives, Espensæus, Melchior Canus* & alii quidam cordatiores mente apertâ de tot suspectis Sanctorum Legendis gravissimè fuerunt conquesti. Accedit post Baronium ingenua Confessio *Francisci Maria Florentini*, qui nuper modò Verustius sub nomine *Hieronimi Martyrologium*, à *Cassiodoro, Beda, Walfredo* aliisque Scriptoribus Ei tributum, à *Gregorio Magno* descriptum, ab *Adone* laudatum, cum pluribus Notis & prolifixissimis Exercitationibus, *Lucæ* in Patriâ edidit, hæc de re ita scribens: *Sicuti de fabulosis narrationibus magno morum & pictatis detrimento accidit in Italiâ præsertim ut sub Heroum & Equitum nominibus impuri amores artesque indigne, dulci blandiloquentia lenocinio in adolescentum animos instillantur; ita ad inflatos Magnatum aliquorum tumores amplificandos, & quod deterius esset, lucri captandi causâ, utinam non defuerint, qui Sanctos aliquos viros in familias Nobilium fabulis additis adoptaverint, vel ignota omnibus Seculis acta, atque ex proprii cerebri penetrabilibus deprompta vulgaverint, quibus hominum minus aliòquin dignorum commentitias virtutes adornaverint. Alii præterea sunt, qui ad alicujus Regionis vel Urbis patriæ dignitatem augendam & vetustatem extollendam ignotos & nusquam in Ecclesiâ constitutos Sanctos ambitioni servire cogant, & adornandas Ecclesiarum Origines, primos omnes Episcopos in Apostolorum ævum refundant, ut non parvam posterioribus Seculis nubem Veritati offusam iri non dubitem.* Et ut præ cæteris omnibus Martyro- & Hagio-logiis, nominatim *Baronii & Rosweidi*, (Gallicano etiam *Saussay*, ut & Hispano *Salazarii*, cujus ultimi tamen nullam ab Eo mentionem factam miror, ut reliquarum Nationum Indices Martyro- & Hagio-logicos taceam,) suo, quod primùm edidit, majorem conciliet & fide dignam auctoritatem, quæ alia facere potuerunt suspecta, ea à suo abesse gloriatur, scribens: *Non hic memoratur Xnorides, non Sulpitius Severus, à Romano Martyrologio jam expuncti. Non Theodorus, Episcopus Laodicenus; non Paphnutius Ægyptius, quos aliqui ab eodem expungendos opinantur. Non Faustus Rhegiensis, in Martyrologio Galefinitii & Maurolyci adpositus; non Ammonius Origenista, à recentioribus in aliquibus Martyrologiis additus. Non Lucifer Calaritanus, non alius, qui sit ab aliquo tanquam dubie sanctitatis notatus.* Hæc Ille ibi & multò plura huc pertinentia, quæ non parùm confirmant eam per Exempla deductionem, quam post alios amplissimè exhibuit *Voetius* de Sanctis quibusdam Chimæricis, in specie de sanctis non sanctis, de sanctis ex sanctis, de sanctis quasi sanctis, ex Authoribus domesticis agens, in quâ tanta Sanctorum mini-

pag. 187.  
seqv.pag. m. 84.  
Tom. I.Admon.  
X. p. 46.Tom. III.  
Dispp. p.  
509. seqq.

minimè Sanctorum copia non necessaria, superflua, imò Ecclesiæ non nisi molestissima occurrit, qualem si Augustinus suo tempore, ex illo etiam numero, qui juxta legendas, ut vocant, jam tum vixisse narrantur, audire fuisset coactus, nullum esse debet dubium, quin ægerrimè tulisset, abusum hujus Elogii seriò taxaturus.

Sed hisce breviter præmissis ad rem ipsam nobis est accedendum, id est, ad Controversiam de Cultu Sanctorum, in qua Evangelicos à Doctoribus Papæ dissentire, notius est, quàm ut significatione indigeat; non quidem, quasi omnem Sanctis honorem denegemus, ut communiter per gravem injuriam nobis imputari solet, Experimentià contrarium testante; sed quia cum honorem & cultum iis non censemus attribuendum, qui in Sacris Scripturis soli DEO adscribitur, omnibusque aliis præter DEUM denegatur. Bellarminus ut ordinem suo more videatur observare, primùm in genere de cultu, postmodùm in specie de Invocatione Sanctorum agit, quibus demùm libro sequenti Quæstionem de reliquiis & Imaginibus eorum, ut & Christi & Crucis Dominicæ subjungit, aliis insuper additis, quæ ad rem præsentem pertinere visa sunt. Nobis & hic vestigia Ejus observare placet, ut ea, quæ autoritatem Augustini vindicandam, respiciunt, cò facilius à Lectore studioso queant inveniri. In explicatione autem Sententiæ, quam dicit Catholicam, rectius, Romano-Papæam, multa proponit observanda, quæ idèò breviter in compendio exhiberi debent, quia Augustini testimonia hinc inde intercedunt. Et primò quidem, adorationem tres complecti actus, nimirum Intellectus, Voluntatis & gestus alicujus exterioris tanquam signi debetæ subjectionis. Secundo, tot esse species adorationis sive cultus, quot sint species excellentiæ, videlicet Divinæ, humanæ, & alicujus inter Divinam & humanam intermediæ, quibus respondeant Latria, cultus civilis, & dulia, hæc tamen ultimâ iterùm divisâ in dulia propriè dictam, omnibus Sanctis communem, & hyperdulia, humanæ Christi naturæ & Beate Virgini Mariæ debitam. Tertio & quarto, has tres adorationis species non esse univocas, sed analogas, & quantum ad actus interiores optimè distingui, non tamen ita faciliè quoad exteriores, Quintò, latriam sumi interdum pro ipso actu, quo Deus colitur, interdum pro habitu, quo ad cultum DEI homo promptus redditur; neque

Enehir. c.  
3. & de  
Trinit.  
lib. 12.  
cap. 14.

lib. 10. de  
Civ. Dei,  
cap. 1.  
de V. re-  
lig. c. 55.  
contra  
Fautum,  
lib. 20.  
cap. 21.

Quæst. 61.  
in Gen.

obstare autoritatem Augustini dicentis, DEI cultum consistere in Fide, Spe & Charitate, ubi videatur velle, latriam esse Virtutem generalem ex tribus Virtutibus Theologicis constatam. Sextò, quantum ad nomina, in Ebræâ linguâ nullum esse nomen, quo propriè designetur cultus DEI solius, sed omnia esse communia; in linguâ similiter Latinâ nullum haberi vocabulum, quod solum de cultu DEI dicatur, Augustino id notante, & hinc esse, quod Patres vocabula adorationis & religionis nunc concedant creaturis, nunc negent, prout variè accipiuntur. Sic in specie Augustinum dicere, *religionis cultum nec Angelis, nec sanctis hominibus jam defunctis deberi, sed soli DEO;* & tamen alibi scribere, *Martyrum memorias religiosâ solennitate populum Christianam concelebrare.* In linguâ Græcâ præter vocabulum, *θεοσεβεια*, quæ non propriè cultum DEI designet, quamvis non multum sit in usu, alia quatuor esse, *εὐσεβεια*, quæ Pietatem, *θρησκεια*, quæ religionem, *λατρεία* & *δουλεια*, quæ servitutem significant, sed nullum esse horum, quod non interdum creaturis etiam adtribuatur. Et quamvis ista vocabula non sint Divino cultui propria secundum primam ipsorum institutionem, Scholam tamen Theologorum non sine causa illam de latria & dulia distinctionem excogitasse, ut cum in re invenitur manifesta distinctio inter cultum Dei & Sanctorum, ad vitandam æquivocationem distincta etiam vocabula adhibeantur; & primò quidem, quia Scripturæ sacri vocem latriæ nunquam usurpent, nisi pro cultu solius DEI, in Novo nimirum Testamento, vocem verò duliæ pro omni servitute tam DEI, quam hominum, non obstante Græcâ Veteris Testamenti versione, in qua etsi semel tantum habeatur nomen latriæ pro servitio humano, cum Ebræus ut & Latius vulgatæ Editionis textus vocem habeant communissimam ad servitium quodvis accommodandam. Deinde etiam, quia Patres antiqui nunquam nisi DEO nomen latriæ tribuant, cum tamen Sanctos etiam coli dicant, Augustino locis paulò ante citatis teste; Imò omnes Veteres salforum Deorum cultum idèò Idololatriam, non Idoloduliam vocasse, quia videntur, cultum Deo proprium secundum Ecclesiasticum loquendi modum vocari latriam, non dulia, Augustino id alibi etiam observante. Neque obstare, quod Patres rarè nominatim meminerint duliæ; cum enim dicant, Sanctos & Imagines coli debere, sed non latriâ, satis indicare, coli debere aliâ cultus specie, quæ dicatur dulia, auctore Beda & Lombardo cum omni scholâ. Idem quoque Augustinum insinua-

re, loco ante citato, scribentem, *cultum creaturae debitum ab Apostolo non dici Latrîam sed alio nomine, videlicet duliam.* Cæteris omnibus prætermisissis, quæ Examen ali- quod requirere videntur, id inter has Bellarmini observationes præsertim notari debet, quod de tam insigniter laudatâ inter Latrîam & duliam distinctione monuit, de quâ in gratiam eorum, qui hanc distinctionem Augustini autoritate niti existimant, Grotii aliàs non parùm Papizantis Sententiam audire juvat, hunc in modum scriben- tis: *Græcam vocem λατρεία neque sui origine, neque usu eorum, quos optimos Græci Sermo- nis authores habemus, propriam esse Divino Cultui, ab aliis rectè est demonstratum. Quin & Septuaginta, quanquam rarius, aliquot tamen locis, laxius usurpant. Sed plerumque λατρεία ipsis est cultus, qui conspicuus signis DEO exhibetur. Fatendum est, Scriptores Novi Fœderis eam vocem vix usquam usurpare, nisi de cultu, qui vero exhibe- tur DEO, ut plerumque, aut sanè de cultu, qui exhibetur tanquam DEO. Hinc igitur nata est illa Augustino etiam celebrata λατρεία & δολεία distinctio, non quod duliam non ad DEUM quoque pertineret, contrarium enim multa Scripturæ loca evincunt, nec quod pro- prietas vocis λατρεία aliquid haberet peculiare; sed quod usus primùm Iudæorum Hellenista- rum, deindè Christianorum, voci δολεία relicto significatu generali atque communi, λατρεία, nomen Divino cultui adsignasset. Græci veteres pagani θρησκείαν dicebant, quod ipsum, quanquam ut creditur ab orphicis ductum Mysteriis, Apostoli non reformidarunt, aded verborum incuriosi, dum commodè mentem explicarent. Proximam huic veneratio- nem iidem θρησκείαν vocarunt. Ex Interpretibus Papæis ipse Conzenius ad eundem lo- cum scripsit: DEL unius honorem λατρείαν vocamus, alium verò Sanctis tribui solitum δολείαν, & inter dum ejus partem hyperduliam; non quod non & λατρείαν creaturis dicamus, & δολίαν Deo, sed quod ea sit in Ecclesiâ consuetudo.*

Quia verò hic quam maximè attendi debet Augustini autoritas, cui distinctio hæc adscribi communiter solet, notandum est, Augustinum hæc distinctione uti in de- scriptione cultûs sive honoris in genere, non cultûs in specie religiosi, non quod hic, sed ille has quasi duas species in se contineat, atque ita distinguere cultum sive honorem primæ & secundæ Decalogi tabulæ, & quod præprimis hic observandum est, agere Eum quoad alteram speciem de cultu non mortuis, sed vivis, nimirum Parentibus, Ma- gistratibus, omnibusque in universum Superioribus exhibendo. Ne quid præter mentem Sancti Doctoris Patrisque augustissimi hic videatur dici, opus est verba Ejus huc adscribere, ut Lectori eò accuratius de eâ constet. Ita autem explicat hanc di- stinctionem: *Latrîam nostrî, ubicunque Sanctarum Scripturarum positum est, interpretari sunt Servitutem, sed ea servitus, quæ debetur hominibus, secundum quam præcipit Apo- stolus, servos Dominis suis subditos esse debere, alio nomine nuncupari solet Græcè. Latrîa verò secundum consuetudinem, quâ locuti sunt, qui Divina nobis condiderunt Eloquia, aut semper, aut tam frequenter, ut penè semper, ea dicitur servitus, quæ ad colendum pertinet Deum. Proindè sit tantummodo cultus ipse dicatur, non soli Deo deberi videtur; dicimur enim homines etiam colere, quos honorificâ vel recordatione vel præsentia frequen- tamus. Nec solum ea, quibus nos religiosâ humilitate subjicimus, sed quædam etiam, quæ subjecta sunt nobis, coliperhibentur; nam ex hoc verbo agricolæ & coloni & incole vocan- tur. Et ipsos Deos non ob aliud adpellant Cælicolas, nisi quod Cælum colant, non utique venerando, sed inhabitando, tanquam Cæli quosdam colonos. Hinc & civitates à majo- ribus Civitatibus velut populorum examiniibus conditæ nuncupantur colonie. Ac per hoc cultum quidem non deberi nisi Deo propria quadam verbi hujus notatione verissimum est. Sed quia & aliarum rerum dicitur cultus, idèd Latine uno verbo significari cultus Deo debitus non potest; nam & ipsa religio, quamvis distinctius non quemlibet, sed Dei cultum significare videatur, unde isto nomine interpretati sunt nostrî eam, quæ Græcè θρησκεία dicitur; tamen quia loquendi consuetudine latinâ, non solum imperitorum, verum etiam doctissimorum, & co- gnationibus humanis atque adfinitatibus, & quibusque necessitudinibus dicitur exhibenda religio, non eo vocabulo vitatur ambiguum, cum de cultu Deitatis vertitur quæstio, ut fide- ter dicere valeamus, religionem non esse, nisi cultum DEL, quoniam videtur hoc verbum à significandâ observantiâ propinquitatis humane insolenter auferri. Plura non addo, quæ ibidem in hanc rem sequuntur, neque ea, quæ Ludovicus Vives, præeunte Laurentio Vallâ, in eruditissimis ad hos Augustini libros Commentariis de distinctione hæc ob- servavit, cum alibi etiam legantur, exque citatis sufficienter pateat, Augustino circa ejus explicationem nihil de eo cultu Sanctorum jam demortuorum venisse in mentem, qui hic quam maximè venit attendendus. Clarius autem de hoc scripsit, ipso id*

Ephes. 6.

ad Matth. 4. vers. 10. conf. E. 3. ras. Schmidt, ibid. vid. etiâ Voff. Theol.

P. 156. ad- de Cham. Panstr. Tom. II. lib. 19. cap. 8.

vid. D. Dannh. Hodos p. 333. Edit. pr. conf. Krom. Theol. po. sit. p. 733.

lib. 10. de Civ. Dei, cap. 1.

agno-

de Verâ  
relig. cap.  
ult.

lib. 20.  
contra  
Faust.  
cap. 21.

pag. 394  
& 395.

Pfal. 98.  
vel 99.

agnoscente Bellarmino: *Non sit nobis religio cultus hominum mortuorum, quia si p̄i vixerunt, non sic habentur, ut tales quarant honores, sed illum à nobis coli volunt, quo illuminante letantur, meriti sui nos esse consortes. Honorandi ergo sunt propter imitationem, non adorandi propter religionem. Si autem malè vixerunt, ubicunque sint, non sunt colendi.* Quibus contraria non sunt, quæ alibi idem Sanctus Pater de hoc Cultu monuit: *Populus Christianus memorias Martyrum religiosâ Solemnitate concelebrat, & ad excitandam imitationem, & ut meritis Eorum confocietur, atque orationibus adjuvetur; ita tamen, ut nulli Martyrum, sed ipsi Deo martyrum, quamvis in memorias Martyrum, constituamus Altaria.* Et post aliqua: *Colimus Martyres eo cultu dilectionis & societatis, quo & in hac vitâ Sancti homines Dei coluntur, quorum cor ad talem pro Evangelicâ veritate passionem esse scimus paratum. Sed illos tantò devotius, quanto securius post incerta omnia superata, quanto etiam fidentiore laude prædicamus jam in vitâ feliciorè victores, quam in istâ adhuc usque pugnantès. At illo cultu, quæ latræ Græcè dicitur, Latine uno verbo dici non potest, cum sit quadam propriè Divinitati debita Servitius, nec colimus, nec colendum docemus, nisi unum Deum.* Ultima hæc duo loca etsi Bellarminus inter se pugnantia existimet, ita quidem, ut in eis Doctor augustus cum aliis Patribus vocabula adorationis, (cultus forsitan dicere voluit) & religionis nunc concedat Sanctis, nunc neget, prout variè accipiuntur; nemo tamen eorum ritè attendens sensum non videt, unum atque idem in utriusque contineri, & utrobique religiosum adorationis cultum soli DEO attribui, Sanctis sive vivis sive demortuis cultu dilectionis & sanctæ Societatis, honorificæ vel recordationis vel præsentis relicto, quem Evangelicos etiam duce Scripturâ iis exhibere, testimonio Volusi in Vindiciis Anti-Thomisticis probatum est. Reliqua, quæ tam in laudatis Augustini verbis, quam in citatis Bellarmini observationibus notari merentur, proximè suo ordine locum habebunt, hoc tantum ea inter non prætermisso, quòd, quam Bellarminus inter Divinam & humanam ponit intermediam cultus speciem, duliam videlicet, eamque iterum subdividit in duliam propriè dictam, omnibus Sanctis communem, & hyperduliam, humana Christi natura & Beata Virgini Mariæ debitam, careat omni Sacræ Scripturæ & Orthodoxæ Antiquitatis fundamento, adeòque etiam augusti Doctoris consensu, ipso iterum Bellarmino fateri coacto, eam à Theologis vulgò Scholasticis, Bedæ & Lombardo authoribus, excogitatam, quamvis id non sine causâ factum velit, in primis ad vitandam æqui-vocationem, & quia ipsam Novi præsertim Testamenti Scripturam inter Iatriam & duliam distinguere existimat, partim Patres quoque, ac inter eos Augustinum, soli DEO Iatriam adferbant, eomet ipso illum religionis cultum, qui dulia dicitur, etsi hæc voce non semper, sed rarè utantur, Sanctis adtribuentes, quæ an verè dicta & scripta sint à Bellarmino, ex hæcenus dictis & scriptis constat.

Nunc ad argumenta deveniendum est, quibus cultum hunc intermedium Sanctis rebus hominibus & Angelis deberi Bellarminus contendit, quæ dum non unius generis & speciei sunt, id circa eorum aliqua observabimus, quod ad Augustini auctoritatem pertinere videbitur. Et quidem quoad Sac. Scripturæ testimonia, etsi nullibi in eorum deductione Augustini mentio occurrat, placet tamen ostendere, Eum in non planè nullis Bellarmino fuisse contrarium. Primum ordine argumentum, ut probeatur, cultum hunc intermedium, minorem videlicet Divino, & majorem civili seu merè humano, sacris etiam rebus deberi, sumitur ex noto Regii Pfaltis Oraculo: *Adorate scabellum pedum Ejus, quoniam Sanctum est.* Ubi per scabellum ad literam intelligi putat Bellarminus *Arcam Testamenti*, per verbum adorare autem *non cultum aliquem civilem, sed religiosum*, ob adjectum à Pfalte prædicatum, *quoniam Sanctum est.* Verùm si Augustinum hujus Oraculi Interpretem audiamus, longè aliter de ejus sensu informabimur, ita videlicet scribeutem vel potius auditores suos informantem: *Videte fratres, quid nos jubeat adorare?* Alio loco Scriptura dicit, *Cælum mihi sedes est, terra autem scabellum pedum meorum.* Ergò terram nos jubet adorare, quia dixit alio loco, *quod sit scabellum pedum Dei.* Et quomodo adorabimus terram, cum dicat aperte Scriptura, *Dominum Deum tuum adorabis;* & hic dicit, *adorate scabellum pedum Ejus?* Exponens autem mihi, quid sit scabellum pedum Ejus, dicit, *Terra autem scabellum pedum meorum?* Anceps factus sum, timeo adorare terram, ne damnet me, qui fecit Cælum & terram. Rursus timeo non adorare scabellum pedum Domini mei, quia Psalmus mihi dicit, *Adorate scabellum pedum Ejus.* Quæro, quid sit scabellum pedum Ejus, & dicit mihi Scriptura, *Terra scabellum pedum meorum.* Fluctu.

„Fluctuans converto me ad Christum, quia ipsum quero hic, & invenio, quomodo sine  
 „impietate adoretur terra, sine impietate adoretur scabellum pedum Ejus. Susce-  
 „pit enim de terrâ terram, quia caro de terrâ est, & de carne Mariæ carnem acce-  
 „pit. Et quia in ipsâ carne hic ambulavit, & ipsam carnem nobis manducandam ad  
 „salutem dedit, nemo autem illam carnem manducat, nisi prius adoraverit, inventum  
 „est, quemadmodum adoretur tale scabellum pedum Domini, & non solum non pec-  
 „cemus adorando, *sed peccemus non adorando.* Hanc Augustini explicationem Bel-  
 „larminus hic omittens, non potuit tamen omittere, ubi Ipse hoc regii Plaltis Oracu-  
 „lum suscepit explicandum, dum præter eum, quem priorem dixit, de Arcâ Fœderis conf.  
Franc.  
Carriere,  
in Com-  
ment, h. I.  
 vel Testamenti sentum, alterum quoque, videlicet posteriorem sensum monuit atten-  
 dendum, ut potè juxta quem Propheta hortetur, *ut omnes adorent humanam Christi natu-  
 ram, ut potè quæ modo nobiliore, quam Arca olim lignea, esset scabellum Divinitatis.*  
 Ego de sensu hujus Oraculi, ipsaque Augustini explicatione nihil addo, contentus  
 explicationem Bellarmini, quam in hujus Controversiæ tractatione proponit, exque  
 eâ argumentum pro rerum sacrarum cultu religioso deducit, Augustino ignotam, si  
 non planè contrariam fuisse. Hoc tantum subjungo, post omnes ferè alios Interpre-  
 tes *Muisum* optimè hæc Plaltis verba explicare, *Adorate scabellum &c. id est, Deum apud  
 scabellum*, ut ad eò non tam objectum adorationis, quàm adorantis, id est, locus Di-  
 vini cultûs ab ipsomet Deo ad id destinatus intelligi debeat, quod omnem Bellarmino  
 argumentandi rationem auferre manifestum est.

*Secundum* jam sequitur argumentum, quo probare Bellarminus intendit cultum  
 Sanctis etiam Angelis debitum, ab Exemplis desumptum, quibus homines pii Angelis  
 honorem adorationis exhibuisse videntur. Omnia jam excutere non vacat, primum  
 ex eis modò videamus, quod ex eâ laudat historiâ Bellarminus, quâ Abrahamus pronâ in  
 terram adoratione Angelum sibi adparentem coluisse legitur. Cui simile accedit ex capi-  
 te sequenti de Lotho, de quorum utroque tamen ipse Bellarminus agnoscit responderi  
 posse, *tam Abrahamum, quàm Lothum non cognovisse Angelos, sed homines putasse initio,  
 cum eos adoraverunt, & civiliter tantum adorasse.* De priori nunc eò libentius libet  
 agere, quia de Augustini circa id Sententiâ, ante Annos non ita multos, inter quosdam  
 Eruditos, pro & contra fuit disputatum, ut videamus, quia Bellarminus omninò Augu-  
 stini Sententiâ dissimulavit, quid de eâ sit statuendum. Ante omnia autem legi me-  
 rentur, quæ *Iansenius*, non Gandavensis, sed *Iprensis*, damnatus quidem in Ecclesiâ  
 Romanensi & per Expurgatorium Indicem prohibitus Author, sed qui non pauca Do-  
 ctoribus vulgò Scholasticis, & in ipso Doctrinæ, quod per aliquot secula obtinuit, gene-  
 re, & in modo proponendi ad debitam ostendit, quamvis intermissam hæcenus corre-  
 ctionem, de Augustini circa adparitiones Filii DEI in Vet. Test. Sententiâ singulari  
 primus, ut videtur, non ita tamen isque cum fundamentis & rationibus monuit, ut au-  
 gusti Doctoris mentem usque quaque penetrasse, ac lectori attento satis ex asse videri  
 possit fecisse. Ita autem Professor quondam regius & Doctor Lovaniensis celeberrimus:  
*Censeo, Augustinum esse, qui primus Patrum, salvo saniore judicio, divinitatem* Tom. I I.  
libr. Pro-  
cem. c. 12.  
pag. m. 29  
& 30. E-  
dit. Lo-  
van.  
 „Filii Dei adversus Arii machinas ita stabilivit, ut primus mirabili quodam ratiocinati-  
 „onis acumine primarium subvertit fundamentum, quo totus Arianismus natus cre-  
 „verat, adustusque nitebatur. Quamvis enim Nicænæ Synodi autoritate prostra-  
 „tus, multorumque Patrum vulneribus confossus, Augustini ætate semimortuus palpi-  
 „taret; nemo tamen erroris radicem exciderat, nec illius objectionis sentinam exhau-  
 „serat, quæ totius hæreseos istius virus exhalabat. Nihil enim perindè Hæresiarcham  
 „Arium, doctissimosque, qui Eum sectabantur, Antistites fecellit, quàm quod in Ec-  
 „clesiâ nascentis exordio Patres trium Seculorum, *Iustinus, Irenæus, Clemens Alexan-  
 „drinus, Tertullianus, Cyprianus,* ET POSTEA PASSIM ALII, *Athanasius, Eusebius,  
 „Hilarius, Basilius, Chrysostomus, Epiphanius, Ambrosius, Theodoretus* unanimiter doce-  
 „rent, adparitiones illas Dei crebras, quæ in Veteri narrantur Testamento, non de Pa-  
 „tre, quod esset invisibilis, sed de Filio DEI intelligendas esse. Itaque Concilium  
 „quoddam Orientalium Episcoporum Sirmiense, quod adversus Photini errores  
 „fuit congregatum, anathema dixit iis, qui dicerent, *Non Filium Abrahe visum, vel  
 „cum Iacobo luctatum esse, sed DEUM innascibilem, sive Patrem, quemadmodum  
 „apud S. Hilarium videre licet.* Hinc ergò Sectarii continuò ex istorum Patrum  
 „authoritate inferebant, Filium Patre minorem esse, quod visibilis factus internunciû  
 „vice ad homines pro Patre per tot Secula functus esset. *Hæc, inquit Sanctus Ambro-*  
 „*sus,*



„*ius, est causa erroris, hæc origo hæresis Arianae.* Quod & Athanasio, & Gregorio Nazianzeno, vel iis certè, qui librorum ad Theophilum, & Orationis quadragesimæ novæ apud Nazianzenum authores sunt, tantopere placuit, ut hæc eadem verba vel Ambrosio præformaverint, vel ex Ambrosio in sua Scripta transtulerint. Cum igitur istud ex Ambrosio Præceptore suo didicisset Augustinus, adversus constantem præcedentium Sententiam, magno ausu, majore constantiâ, subnixus Scripturarum pondere & rationum gravissimarum acumine ac texturâ, primus pan- sis velis in de Trinitate libris demonstravit, omnes illas adparitiones Veteris Testamenti non DEO, sed Angelo tribuendas esse. Quæ causa fortassis fuit, cur illos libros tot Annis suppresserit, ne fortè nimis præcipiti audaciâ illam tot Patrum antiquorum Sententiam, atque unâ præcipuum Arianorum præsidium subvertisse videretur. Juvat circa hunc *Iprensus* Episcopi discursum aliqua in gratiam Lectoris adnotare, ut, quid de hoc Augustini instituto habendum sit, eò manifestius constet, Et primò quidem in eo antiquorum Patrum & Ecclesiæ triseularis Doctorem Sententiam non rectè videtur percepisse, qui in Augustini mente indagandâ ut plurimum fuit occupatus, dum eos ideò statuisse putat adparitiones Vet. Testam. Filio DEI adscribendas esse, quia Pater sit invisibilis; cum, qui in eorum Scriptis sunt versati, incognitum non habeant, cum aliquo discrimine eos de hoc argumento scripserint. Aliquos nimirum, videlicet *Iustinum, Tertullianum, Hilarium*, quibus *Origenem & Novatianum*, Jansenio omisso, aliqui addunt, statuisse, ex Divinis Personis solum adparuisse verbum, Patrem verò neque visum à quoquam sub ullâ corporeâ & sensibili formâ, neque videri omninò posse; aliquos autem, videlicet *Irenæum, Eusebium, Athanasium, Basilium, Chrysostomum, Theodoretum, Ambrosium*, quibus aliqui Patres *Antiochenos*, utrumque *Cyrillum & Alexandrinum & Hierosolymitanum, Prudentium, Leonem Magnum, Isidorum Hispalensem* adjungunt, cum Filium non minus quam Patrem suapte naturâ & substantiâ invisibilem esse tenerent, solum tamen Filium aliquâ corporis specie obductum, patris fuisse visum, Patrem verò, sive videri hoc modo & ipse posset, sive non posset, nunquam venisse in conspectum, docuisse, quanquam ex prioribus etiam Patribus nullus negaverit, *Filium DEI æquè ac Patrem ex Natura & Essentia perfectione esse invisibilem.* Et sanè, si in Mysterio Sacrosancti Trinitatis confitendo & contra violatores Ejus vindicando sinceri fuerunt primæ ætatis Doctores orthodoxi, quantum videlicet temporis illius ratio & status permisit, quidquid etiam iis videatur, qui alienam iis adfingere mentem conantur, certè non potuerunt summæ Simplicitatis, Spiritualitatis & Invisibilitatis perfectionem Filio DEI detrachere, nisi Eum alterius Naturæ & Essentiæ agnovissent. Deinde majori per omnia adplausu *Jansenius* hæc Augustini singularitatem proposuit, quàm antehac eam à contemporaneis partim, partim à subsequenter Augustini Seculum Doctores exceptam fuisse, ex publicis Eorum documentis manifestum est, ita ut agnovisse eos doceri possit, tantum Arianis novo hoc theoremate damnatum fuisse illatum, penitusque eorum bastas fuisse cometiplo amentatas. Et qui à nimis quibusdam, occultis tamen *Jansenii* admiratoribus in ejus gratiam solent adduci, quasi Sententiæ huic præbuerint adsentium, si mens eorum ritè ponderetur, à receptiori se Sententiâ non recessisse docebunt. Accedit præterea, quod neque id adeò sit liquidum, in quo tamen cardo hujus Augustinianæ singularitatis ex mente quidem *Jansenii* vertitur, Arianos à principio, & tempore præsertim Concilii *Sirmiensis*, ex istis adparitionibus probare ausos fuisse, vel Filium DEI suâ naturâ esse visibilem, vel eundem non esse summum Deum; cum potius contra Arianos ex illis adparitionibus Patres Filii DEI divinitatem gravissimè elicerent, eorumque exemplo contra infaustam hodiè Socini sobolem Evangelicæ Doctores eam solidissimè vindicent, quidquid iterum iis videatur, quibus ex solâ innovandi prurigne antiquorum methodus displicet, tot hæctenus victoris ex Cæli favore in Veritatis orthodoxæ gratiam nobilitata, quam nec dum obliterari omninò patientur ii, quorum ex officii & muneris ratione inter est & esse debet, ne quid res non privata, sed Ecclesiæ communis & publica, per aliquam vel conniventiam vel inadvertentiam patiatur damni & detrimenti, cujus gratiâ rigorosum aliquando sustinebunt examen ab Eo, qui revelatam à se Veritatem omni modo cupit contra quosvis Ejus hostes defensam. Sed & illud denique non venit negligendum, ipsum Patrem augustissimum, fatentibus id non invitis Doctores Papæ, videri hic aliquid humani passum,

vid. D.  
Dorsch.  
ad Concl.  
Sirm. p.  
148. seqq.

vid. D.  
Walth.  
Spong.  
Mofaic.  
pag. 497.  
seqq. D.  
Kloz. de  
Angelo.  
latr. pag.  
187. seqq.

passum, dum receptam ab Antecessoribus in hac Quæstione Sententiam, nullâ urgente causâ satis prægnante deseruit, & singularem sibi atque novam visus est excogitasse; nulla urgente causâ, inquam, cum satis fuisset negare consequentiam Arianæ argumentationis, nimirum, ex ejusmodi argumentationibus visibilitatem aut inferioritatem aliquam adparentis Filii DEI posse concludi, sicut revera exindè deduci non potest, quàm argumentum illud invertere vel omninò evertere, quo alii antea non infeliciter ad probandam adparentis Filii DEI divinitatem, cum Patre æqualitatem, & in Naturâ vel Essentiâ suâ invisibilitatem contra ejus adversarios & hostes juratos usi fuerant, præsertim cum non defuissent instantiæ & distinctiones, quibus tota res egregiè potuisset juvari, videlicet ne Angelis quidem in sua Natura visibilibus, qui tamen non semel ex singulari dispositione quâdam hominibus se visibiles exhibuerunt, inque personarum Sacrosanctæ Trinitatis libertate positum esse credi debeat, adparere, Deoque Patrine quaquam omninò denegari possit, Eum in Veteri Testamento Sanctis adparuisse, quamvis aliud sit, adparere simpliciter, oculo hominis per singularem gratiam ad tempus elevato & illuminato, aliud autem, adparere per modum hominis vel etiam Angeli peregrinantis & corpore adsumto hinc indè semetipsum moventis, quæ omnia si probè observentur, satis evincunt, Augustinum singularitate hac sua, quam *Iansenius* ita extollit & de qua triumphabundus gloriatur, id non impetrasse aut effecisse contra Arianos, quod obtinere poterat, si antiquam tenuisset Sententiam.

De cæterò, ut ad Bellarminum post brevem hanc Digressiunculam fortè non impertinentem ad eò redeam, dum Angelis, nimirum creatis, hunc adorationis cultum ab Abrahamo existimat fuisse exhibitum, atque in proximâ Quæstione de Igne Purgatorio ad Judaicæ etiam gentis consensum provocavit, potuisset & hic eorum adducere Sententiam, qui per Cabbalam Gematricam (vel Geometricam) tres Archangelos, Michaelem, Gabrielem & Raphaelem Abrahamo adparuisse statuunt, singulos certæ alicui functioni addictos. Verùm missis hisce, id adhuc insuper addendum venit, esse inter Sermones Augustini de Tempore septuagesimum numero, qui aliâ de hac adparitione Abrahamo factâ ab Augustini fuisse videtur mente, si ea attendantur, quæ ad aliorum Patrum Sententiam ibi extant, dum inter alia hæc leguntur: *Tribus occurrit Abraham, & unum adorat. In eo autem, quod tres vidit, Trinitatis mysterium intellexit. Quod autem quasi unum adoravit, in tribus personis unum esse Deum cognovit. Et post aliqua: Ecce, Beatus Abraham, dum homines ferventer exciperet, ipsum suscipere Deum hospit alitatis contemplatione promeruit.* Et iterum post quædam: *De istâ Visione Dominus in Evangelio locutus est ad Iudeos, dicens, Abraham exultavit, ut diem meum videret; vidit, & gavissus est. Diem, inquit, meum vidit, quia Mysterium Trinitatis agnovit.* Non examini subijcio hanc Sententiam, id quod ab aliis paulò ante laudatis Scriptoribus est factum; sed hoc tantum addo, si eahic loci obtineat, argumentum ex hac adparitione pro cultu Angelorum demonstrando desumptum omninò cadere, neque ullam vim habere concludendi. Quin & insuper, etiam si singularis & à paucis recepta Augustini Sententia præ aliis occupet locum, Angelos nimirum creatos adparuisse Abrahamo, àque Eo singulari cultu exceptos fuisse, id tamen adhuc demonstrandum restat, num Augustinus statuerit, eos ab initio statim, quod Angeli essent, Abrahamo cognitos fuisse, quod dum Bellarminus ipse in dubium vocavit, atque non magnam ad eò vim huic argumento inesse vidit, hic etiam non amplius urgetur, transitu ad tertium Bellarmini pro Sanctorum cultu argumentum facto, de quo tamen tribus, quod ajunt, verbis egisse sufficiet.

Exhibet illud primo iterum loco adparitionem Samuelis fictitii ab impio Saule adorati, cultu non civili, quem Bellarminus hic removet, tanquam animabus defunctorum minus competentem; neque etiam cultu prohibito, quia ad ejusdem Bellarmini opinionem aliàs vel ipse Samuel, vel Scriptura alicubi illud indicasset, & quasi rem illicitam debitæ subiecisset centuræ. Atqui præter ea, quæ superius ad hanc adparitionem fictitiam ex Augustino satis prolixè fuerunt observata, hic ad tædium non repetenda, nunc tantum nostra facimus verba, quæ sub Augustini nomine in libro Quæstionum ex Veteri Testamento ad hanc ipsam adparitionem inter alia leguntur: *Saul, quia non bene intellexit, alium contra Scripturam adoravit, quàm Deum, & putans esse Samuelem, adoravit Diabolum, ut fructum fallacia sue haberet Sathanas. Hoc enim nititur, ut adoraretur quasi Deus. Si enim verè Samuel illi adparuisset, non utiq, Vir justus permisisset se*

adorari, qui prædicaverat, Deum solum esse adorandum. Non quidem necius sum, quæ Bellarmini rigidior de hoc Authore sit censura, non tantum in hoc ipso Controversiarum, sed & in de Scriptoribus Ecclesiasticis opere non semel expressa, per quam non immeritò quis posset vel deberet absterri, ne Ejus autoritate unquam vel ullibi uteretur. Sed quia ipse Bellarminus suprâ, ubi Pontificis Romani primatum adstruere omnibus laboravit viribus, inter eos viginti & quatuor Patres & Ecclesiæ Doctores, quos totidem Senioribus Apocalypticis, (non dissimili multum modo, quo, forsitan ad imitationem Bellarminini, non ita pridem Theologorum hodie Moralium Epitomator compendiosissimus, vel si verum scribere licet, dispensiosissimus, Escobar, suæ Societatis Authores ejusdem numeri, ex quorum Scriptis suam singulari studio compilavit Summam, iisdem) comparavit, hunc quoque Questionum Veteris Testamenti Scriptorem tanquam Testem hujus Primatus vel Suprematus laudavit, ut de aliis Authoribus Papæis non dicam, qui non semel ejusdem testimonii usi leguntur, ægrius ferre nemo poterit, si ejusdem Privilegii participes se faciant Evangelicæ, ad hominem aliquando contra adversarios agendo, ut eorum perveria methodus eò manifestior evadat.

vid. R. Co.  
ci Cent.  
pag. 345.  
& seqq.

Serm. 27.  
de Sanctis

Epist. 44.  
ad Maxim.

lib. 20.  
contra  
Fauft.  
cap. 21.

in Psal. 96.

Nunc cum ad cætera tertii hujus argumenti dicta ipse Bellarminus, sicut etiam ad antecedentium, ex Augustino nihil omnino adferre potuerit subsidii, rectâ ad quartum ferimur argumentum, quod Patrum Ecclesiæ testimonia pro Sanctorum cultu exhibet, ea breviter examinaturi, quæ Augustinum agnoscunt authorem. Quatuor autem sunt, quibus contra adversarios militat Bellarminus, de quibus in specie paucis, cum prolixo non sit opus responso. Primum hæc habet verba: *Beatissimum piscatorem Petrum genibus provolutis adorat Gentium multitudo.* Sed præter id, quod ipse Bellarminus in proximè laudato de Scriptoribus Ecclesiasticis opere Sermonibus de Sanctis non omnimodam adscribere ausus fuit certitudinem, quasi omnes Augustinum agnoscere cogentur Patrem, videtur hæc locutio esse metaphorica simul & metonymica, indicans, Gentium multitudinem genibus provolutis adorare Petrum, id est, humili devotione suscipere doctrinam à Petro prædicatam & verâ fide amplecti Christum DEI Filium ejusque meritum in Evangelio revelatum. Secundum est: *Ostendatur mihi Roma in tanto honore Templum Romuli, in quanto ibi ostendo memoriam Petri.* In Petro quis honoratur, nisi ille defunctus pro nobis? Verùm hæc verba, quæ hic Bellarminus quasi ex Augustino desumpta videretur pro cultu Sanctorum laudare, in citatâ Augustini Epistola non leguntur; alia autem circa ejus finem extant, quæ contra cultum Sanctorum à Bellarmino tantoperè commendatum militant, augustissimo Doctore graviter hunc in modum scribente: *Scias, à Christianis Catholicis nullum coli mortuorum, nihil denique ut Numen adorari, quod sit factum & conditum à Deo, sed unum ipsum Deum, qui fecit & condidit omnia.* Tertium sequitur, quo Bellarminus objicienti Fausto, quod Christiani Idola verterent in Martyres, Augustinum respondisse monet, *coli Martyres à Christianis, sed non latrâ.* Atqui in præcedentibus ad hoc Sancti Patris testimonium, exque alio ejusdem Parallelo fuit ostensum, agi in eo expressè de cultu dilectionis & societatis, quo Sancti etiam in hæc adhuc vitâ homines coluntur; Item de cultu honorifica vel recordationis vel presentie, quem neque Evangelicos verè Sanctis denegare, manifestum est, & in quibus honoris & cultus terminis si Romanensis Ecclesiæ sectatores manerent, nullius Hagiolatricæ accusari possent de jure. Quartum adhuc superest, quo Ethnicis objicientibus, quod Angelos Christiani colerent, Augustinum nomine Christianorum respondisse scribit Bellarminus: *Vinam & vos colere vultis illos; facile enim ab ipsis discretis, non illos colere, id est, non colere ut Deos, sed ut Sanctos.* Triplex falsi crimen in hujus testimonii adductione committit Bellarminus. Primum est, quod alienam Gentilibus adstringit objectionem, quasi nimirum Christianis cultum Angelorum objecissent, cum tamen objectionem Christianorum, quasi Dæmones colerent, à se amoliri laborantes, responderint, non Dæmonia, sed, quos Christiani dicunt Angelos, tanquam virtutes & ministeria DEI magni se colere. Secundum est, quod Augustinum existimet gentilibus persuadere voluisse cultum Angelorum per se, cum tamen solo respectu cultus DEO debiti, aliquem Angelis voluerit exhiberi cultum, discendi nimirum gratiâ, DEUM, non Angelos esse colendum, quod illustri exemplo Angeli cultum à Johanne sibi oblatum tenuentis illustravit, in præcedentibus idem ex Apostolorum Actis memorans, de Paulo & Barnabâ.

nabâ, honorem à Lycaoniâ civibus exhiberi ceptum omni modo tanquam sibi incompetentem respicientibus. Sed *verum* duo hæc antecedentia in eo superat, dum Bellarminus sua verba verbis Augustini ita connectit, ut Lector non inspiciens locum, ex quo citantur, vix aliter sibi posset persuadere, quam omnia ab Augustino profecta esse. Augustini hæc sunt: *Vinam & vos*, nimirum Gentiles, *colere velleis illos*, nimirum Angelos, & cultu quidem illo, quo à nobis coluntur Christianis; *facile enim ab illis disceretur non illos colere*, eo videlicet cultu, quo hæcenus coluistis. Jam quæ sequuntur apud Bellarminum iisdem planè literis, quibus antecedentia erant scripta, *id est, non colere, ut Deos, sed ut Sanctos*, non Augustini sunt, sed Bellarmini verba, utur pro Augustini verbis Lectori per fraudem non adeo piam venditaverit, id quod præter alios à Chamiero etiam non sine causâ graviter fuit animadversum.

Nunc id adhuc restat, ut, quia Bellarminus statim sub hujus de cultu Sanctorum tractationis initium aliqua contra hunc Cultum tam è Sacris Scripturis, quam è Patribus Ecclesiæ, adeoque ex Augustino etiam proposuit argumenta, quid ad illa respondere conatus fuerit Bellarminus, insuper videamus. Eminent inter alia illud, contra distinctionem inter *latriam & dulia*m, tanto opere à Papæis Doctoribus laudatam, & quâ stante, stare, cadente autem cadere hic cultus non immeritò videretur, quod Augustinus egregie monuit, *tam latriam, quam dulia*m Deo tribui; *illam ut Deo, hanc ut Domi-* Bellarminus quidem, quâ ut plurimum ducitur audaciâ, hunc locum quam maxime sibi existimat inservire, dictamque distinctionem inter latriam soli Deo debitam, & dulia m Deo & Sanctis communem confirmare, scribens: *Ex eo, quod Augustinus ait, Latriam Deo dari, ut Deus est, dulia m verò, ut Dominus est, colligitur, Latriam non posse communicari Creaturæ, quia unus tantum est Deus, ut dulia m posse communicari, quia multi sunt verè & propriè Domini*; hæc tamen additâ limitatione, *dulia m, quâ colitur DEVS, esse dulia m per excelleniam, & specie distinguî ab eâ, quâ coluntur Sancti*. At eandem esse rationem utriusque nominis, ab Apostolo discere potuisset Bellarminus, qui sicut unum esse Deum, ita etiam unum esse Dominum dixit, verè nimirum & propriè, inque significatione ei oppositâ, quâ impropiè alii etiam Dii & Domini dicuntur, quod Bellarminus tam insignis Controversiarum Scriptor omninò ignorare, vel ad minimum dissimulare non debuit, rem utpotè è sacris Literis manifestissimam. Alterum augustissimi Doctoris testimonium contra cultum & adorationem Sanctorum ex libro de *Verâ Religione* jam supra fuit laudatum, quo testatus est Sanctus Pater, *honorandos quidem esse demortuos, si vixerint piè, propter imitationem, sed non adorandos propter Religionem*. Hoc Augustini monitum, quod Evangelici in cultu Sanctorum omninò observandum putant, cui similia Athanasii, Epiphani, Ambrosii dissimulare tanquam ubivis obvia non potuit Bellarminus, idèo tamen Evangelicis eripi posse existimavit, quia Erroribus Gentilium, sceleratis hominibus Divinos honores adscribentium, eis que Sacrificia obferentium, hæc talia fuerint opposita. *Quod enim alioquin Sanctos homines & Angelos debito cultu statuerint prosequendos, eosdem Patres & inter eos Augustinum sexcentis adfirmare locis*. Verum neque Evangelici Sanctos homines & Angelos debito cultu defraudare unquam fuere conati, de eo tantum solliciti, ne alicujus Angelo-latriæ vel Hagio-dulia m indebitæ rei, id est, honorem & cultum soli Deo debitum creaturis adscriptis videantur. Et hæcenus de cultu Angelorum & hominum Sanctorum in genere.

Nunc in specie ad cultum Invocationis progreditur Bellarminus, de quo prima hæc est Ejus propositio: *Non licet à Sanctis petere, ut tanquam authores Beneficiorum Divinorum nobis gloriam vel gratiam, aliæque ad Beatitudinem media concedant; sed, quod ex sequentibus constat, ut impetratores*. Hujus Propositionis partem primam esse dicit contra eorum errorem, quos ab Epiphanio refelli monet, statuentium, *Mariam, quæ præcipua Sanctorum est, invocari posse ac debere non secus, ac Deus invocatur*. Sicut autem simul eam esse vult contra calumniam Calvinistarum omniumque eorum, qui Romanenses ob indebitum Sanctorum cultum Hagiolatriæ reos accusant; ita alteram partem, ut ex sequenti explicatione manifestum est, modo non uno demonstrare laboravit, Augustino etiam pro teste laudato. Semel quidem, ubi Eum Scripturæ Interpretem commendavit; Iterum, ubi Eum cum Theodoro adduxit Doctorem vel docentem, *Sanctos quidem non esse invocandos ut Deos, sed ut qui à Deo imperare possunt, quod volunt*, illi nimirum & homines. Prius ut ostendat, sequentia

Panstr.  
Tom. II,  
lib. 19,  
cap. 4. in  
fine.

Quæst. 94  
in Exod.

Ephes. 4.  
1. Cor. 8.

Psal. 120,  
vel 121.

Psalis regii verba stitit: *Levavi oculos meos in Montes, unde venit auxilium mihi; auxilium meum à Domino, qui fecit Cælum & terram.* Ad hoc testimonium observat Bellarminus, Augustino montes esse homines Sanctos. Addit autem, non ex Augustino, sed de suo: *Iubemur ergo oculos levare ad Montes, id est, ad Sanctos, & ab Eis auxilium expectare; sed ut intelligamus, ab Eis expectandum esse auxilium, non ut ab Authoribus, sed ut ab impetratoribus, idè statim subditur: auxilium meum à Domino &c.* Et quia Bellarminus tria citat loca, quibus hanc Sententiam Augustinus exhibere putatur, ex quâ ad propositionis suæ veritatem se argumentari posse existimat, idè singula ordine videamus. *Primus* ad ipsam huius Psalmi enarrationem nos ducit, ubi prætermisissis pluribus sequentia ad Institutum præsentis inservientia leguntur: *Montes possunt intelligi homines magni, homines clari.* Et postquam in horum montium numero Johannem imprimis Baptistam recentuit, notanter subjunxit: *In illos montes nisi levaveris oculos; per Scripturam non admoneberis, ut ab illo, nimirum Christo, illumineris.* Ita Augustini Sententiam exhibet Editio Parisiensis ante hoc Seculum curata. Doctores autem Lovanienses nuper demum ex Manuscriptis Exemplaribus Enarrationes in Psalmos separatim edentes posteriora hæc Augustini verba sequentem in modum expreserunt: *De cuius plenitudine acceperunt Montes, ab illo est tibi auxilium, non à montibus, in quos tamen nisi levaveris oculos per Scripturas, non admoneberis, ut ab illo illumineris.* Notant insuper in margine, Editionem Parisiensem plura hic complecti, quorum non planè nulla in laudatis Exemplaribus Manuscriptis desint. *Secundus* id magis manifestè explicat locus, ad quem Bellarminus lectorem mittit, ubi quidem Sanctus Pater hoc Davidis testimonium non ex professò tractat, ita tamen de eo agit, ut nihil omninò, nisi per summam absurditatem, exindè possit ad Hagioduliam deduci. Et sicut in antecedenti testimonio inter montes retulit Johannem Baptistam, ita hic refert Johannem

Tract. 1.  
in Joh.

Evangelistam, sequentibus verbis: *Fratres mei, si vultis intelligere, levate oculos vestros in montem istum, id est, erigite vos ad Evangelistam, erigite vos ad Ejus sensum.* Post de Montibus his ita suam dicere Sententiam pergit: *Quia Montes isti Pacem suscipiunt, non potest autem esse in Pace, qui spem ponit in hominem; nolite sic oculos erigere in Montem, ut putetis, in homine spem vestram esse collocandam.* Ergo levemus oculos in montes, unde veniet auxilium nobis; & tamen non ipsi montes sunt, in quibus spes nostra est ponenda, accipiunt enim montes, quod nobis ministrant. Ergo unde & montes accipiunt, ibi spes nostra est ponenda. Explicat hanc suam in proximè sequentibus: *Oculos nostros cum levamus ad Scripturas, quia per homines ministratæ sunt Scripturæ; levamus oculos nostros ad Montes, unde veniat auxilium nobis.* Sed tamen, quia ipsi homines, qui scripserunt Scripturas, non de se lucebant, sed ille erat verum Lumen, qui illuminat omnem hominem venientem in hunc Mundum, mox erat & ille Johannes &c. Omnium clarissimè autem hæc explicat tertius augustissimi Doctoris locus, quem

L. de Pa-  
stor. c. 8.

Bellarminus porrò contra semetipsum nobis suppeditavit, hoc verborum tenore: *Noli putare, injuriam te Sanctis facere montibus, quando dixeris, auxilium meum non à montibus, sed à Domino, qui fecit Cælum & terram.* Iterùm: *Ergo posteaquam levaveris oculos tuos in montes, unde veniet auxilium tibi, id est, in Authores Scripturarum Divinarum, attende omnibus suis medullis, omnibus ossibus clamantem: Domine, quis similis tibi? ut securus sine ullâ montium injuriâ dicas, auxilium meum à Domino &c.* Non solum tibi tunc non succensebunt Montes, sed amabunt & magis favebunt; Si verò in ipsis spem tuam posueris, contristabuntur. Illustrat id exemplo Angeli Apocalyplici supra commendati: *Angelus multa Divina & mira ostendens homini ab homine adorabatur, tanquam levante oculos in Montem; at ille à se revocans ad Dominum inquit: Noli facere, illum adora &c.* Expendat nunc Lector æquus, judicandi ex Logica etiam naturali qualitercunque peritus, an ex eo, quod Augustinus per Montes in regni Psalms oraculo intellexit homines Sanctos, imprimis eos, per quos Spiritus Sanctus in Sacris Scripturis nobiscum loquitur, verumque DEI cultum nos docet; utque in montes Scripturarum oculos levemus, Deumque Trinuum colendi modum discamus, prævio Davide suos auditores instanter hortatus est, sequatur, perque legitimum aliquod argumentum possit deduci, quod Bellarminus Lectori minus attento voluit persuasum, iuberi nos ad Montes elevare oculos, id est, ad Sanctos, & ab eis expectare auxilium, quamvis non ut ab Authoribus, sed tamen ut ab imp-

tratoribus, cum ex his neutrum vel Davidi, vel Augustino venerit in mentem, quid quid etiam Bellarmino hic videatur, utur post non fuerit ita visum, ubi ætate maturiori & Cardinalis factus integrum Psalterii librum explicavit, Augustini Expositionem dicens mysticam, ex suo autem sensu per Montes intelligens celestem Hierosolimam, cujus Hierosolyma terrestris fuerit typus, civitas in montibus sita; ut adde, etiam Augustinus per Montes intellexisset homines sanctos, tanquam impetratores Bonorum à nobis invocandos, quod tamen non factum esse, ex testimoniis Eius manifestum est, ipse tamen Bellarminus agnovisset, Sensum hunc non-nisi pro mystico habendum esse. Et si plerosque Interpretes Papæos hoc consulamus loco, paucissimi erunt, si modò aliqui, qui hanc adscriptam Augustino explanationem sequantur, cæteris omnibus ad longè alia intentis. *Cajetanus* certè nihil de hac Sententiâ habet, quin potius mentem suam in parrem contrariam explicat: *Introducitur siquidem populus, manifestans animum suum recurrendi ad Principes mundi pro auxilio contra hostes, & ad similitudinem hominis existentis in campo, & expectantis suppetias hominum transmontanorum. Talis enim homo levat oculos suos versus montes, ut videat, si adparent homines transmeantes montes ad auxilium suum. Et intendit, nimirum Psalter, per hanc Metaphoram populi recursum ad humanos potentatus, qui ob suam celsitudinem sunt sicut montes respectu aliorum. E regione autem occurrit populo volenti recurrere ad Potentatus humanos Propheta, profitens, auxilium meum à cum Domino, faciente Cælos & terram. Vbi nota, quod non dicit, auxilium meum à Domino, sed, auxilium meum à cum Domino, hoc est, ab esse cum Domino; Ita, quod ex hoc solo, quod est, esse cum Domino, suum proficitur auxilium, & intendit, quod non est opus aliâ conditione, nisi hac unâ, scilicet esse cum Domino.*

*Agellius*, ex Congregatione Clericorum regularium, Psalterii Interpres inter suos non indoctus, hunc Psalmum de Judæis ex Captivitate Babelicâ Hierosolimam versus iter facientibus intelligens, in eundem ferè sensum ad hæc verba scribit: *Possunt etiam montes figuratè dici vel Idola gentium, vel Principes & Reges. Cum enim ad iter faciendum multa essent necessaria, & ope Regum ac Principum indigeret populus, dicit, se expectasse & sperasse à montibus ac terrenis Principibus, secundè ab illis aliquid auxilii adferretur. Cum igitur nulla spes auxilii à montibus adfulgeret, à terrenis hisce auxiliis, ad opem celestem desiderandam & orandam conversus sum, sciens, nullum terrenum adjumentum firmum esse, & in nullâ re satis esse presidii, præterquam in Domino. Missis brevioribus Iohannis Mariane, & Immanuelis Saa ad hunc locum Scholiis & Notationibus, qui per Montes intellexerunt Cælos, placet imprimis Jansenii Gandavensis Adnotatio, sequentia exhibens: *Dupliciter hic versus intelligi potest. Simpliciter enim accipi potest, ut præpositio in accipiatur pro ad, & per montes intelligantur Cæli, aut saltem per sublationem oculorum ad montes intelligatur sublatio eorum ad alta atque ad caelestia loca, juxta quem sensum dictio, unde, refertur ad montes, ut significetur, à montibus, hoc est, è Cælo sibi auxilium polliceri regium Prophetam. Verùm Ebræi aliter exponunt præpositionem hic positam, accipientes pro super, ut intelligatur, Ipsum dicere voluisse, se in montibus constitutum conjecisse in omnem circumquaque regionem oculos, atque speculatum, undè sibi venirent auxilia. Id autem per Metaphoram dicit, similitudine scilicet mutuata ab illis, qui expectantes auxilia ex locis editioribus speculantur, unde illa demum adveniant. Voluit itaque exprimere, quam anxie opem expectavit, atque & hunc sensum nostra habebit litera, si in pro super accipiatur. Et juxta hanc posteriorem explicandi modum ipsa etiam Paraphrasis horum Davidis verborum à Jansenio facta est: *In tribulatione constitutus anxie opem alicundè mihi adventuram expectavi, simpliciterque habitus fui, atque is, qui super montes, & aliqua editiora loca consistens circumfert suos in omnem circumquaque Regionem oculos, desiciens, secundè auxilia sibi veniant. Verùm dum undique mihi auxilium disquiro, deprehendi, meum auxilium non ab alio sperandum esse, quam à DOMINO, qui solus inter omnes, qui dicuntur Dii, creavit Cælum & Terram, ac proinde omnium summus est, potens facere, quacunq; vult,***

omniaque sibi subjecta habens. Consentit cum posteriore hac Sententiâ post alios omnes ferè laudatus non semel *Muisus*, ita in Commentario ad hunc locum scribens: *Levari, vel levo oculos meos in montes, undique circumspiciens, an forte auxilium alicunde adfulgeat; vel, in montibus, scilicet constitutus. Nam qui è longinquo auxilium expectat, in montes solet ascendere, & huc atque illuc oculos circumferre, num aliquid sese offerat auxilii. Posteriori modo accipit Kimchi, & el pro al, id est, super vel in esse vult, ut aliâ. Auxilium meum à Domino &c. Corripit se veluti, quasi dicat Psaltes: Quid mihi prodest, huc & illuc anxium expectare, cum à solo Deo pendendum sit auxilium, qui fecit Cælum & terram, atque aded, quidquid vult, potest efficere? Satis hæc superque evincunt, etiam Augustino Sententiâ de montibus quasi hominibus Sanctis, Bonorum à Deo impetratoribus, & hinc invocandis placuisset, desertum tamen Eum fuisse à citatis Interpretibus Papæis, qui in hujus loci explicatione in alia iverunt omnia, adeoque & Evangelicis eodem jure prohibitum non fore, à singulari Ejus Sententiâ discedere, quo alii licitum fuit, & ipsi quoque Bellarmino, aliter sentire. Quia verò neque Augustinus id voluit, quod Bellarminus ex Ejus Sententiâ deduxit, manifestum est, minus sincere Bellarminum & hic ad Ejus auctoritatem provocasse.*

Sed neque in posteriori demonstratione majorem Bellarminus adhibuit fidem, ubi Augustinum cum *Theodoro* inducit disertè docentem, *Sanctos non esse invocandos, ut Deos, sed, ut qui à Deo impetrare possunt, quod volunt.* Ne & hic agrè Bellarmino videamur facere, ipsa iterum videbimus loca, ad quæ Bellarminus lectorem ducit. Et priori quidem, juxta præscriptum lemma, quicumque etiam author ejus sit, agitur de modo honoris, quem *Christiani Martyribus impendunt.* In ipsâ autem tractatione nihil ejusmodi invenitur, per quod Bellarmini Sententiâ, quam Augustino adscribit, posset confirmari; non planè nulla è contrariò, quæ ad infirmendam posset intervenire. Videamus aliqua, quibus Pater Sanctus Martyrum cultum apud Christianos usuram contra Gentilium calumnias insigniter defendit: *Nos Martyribus non Tempia, Sacerdotia, sacra & sacrificia constituimus, quoniam non ipsi, sed Deus eorum nobis est Deus. Honoramus sanè memorias eorum tanquam Sanctorum Dei hominum, qui usque ad mortem corporum suorum pro veritate certarunt, ut falsis fictisque religionibus convictis vera innotesceret religio.* Et post aliqua: *Apud eorum memorias offertur Deo, qui eos & homines & Martyres fecit, & Sanctis suis Angelis cælesti honore sociavit, ut ea celebrare & DEO vero de victoriis illorum gratias agamus, & nos ad imitationem talium coronarum atque palmarum, eodem in auxilium invocato, ex eorum memoria renovatione adhortemur.* In posteriori agit quidem Doctor augustus de quibusdam miraculis, quæ per Martyrum memorias tum facta commemorat, sed non eum in finem, ut ideò à nobis invocentur, ut qui à Deo impetrare possint, quod velint, de quo nulla ibi syllaba, nullus omnino apex legitur. Verba Augustini hæc sunt: *Nobis Martyres non sunt Dii, quia unum eundemque Deum & nostrum scimus & Martyrum. Faciant autem miracula Martyres, vel potius Deus, vel orantibus aut cooperantibus eis, ut Fides illa proficiat, quæ eos non Deus esse nostros, sed unum Deum habere nobiscum credamus.* Et iterum: *Nos Martyribus nostris non Tempia, sicut Diis, sed memorias, sicut hominibus mortuis, quarum spiritus apud Deum vivunt, fabricamus; nec ibi erigimus Altaria, in quibus sacrificemus Martyribus, sed uni Deo & Martyrum & nostro Sacrificium immolamus.* Judicet nunc iterum Lector veritatis studiosus, an ex his Augustini verbis sequatur, quod Bellarminus inde studuit probare. Imò legantur cætera, quæ utrobique Sanctus Pater de hoc argumento scripsit, & si pro Bellarmini Sententiâ, quam Augustino tribuit, aliquid inventeretur testimonium, Augustinus non noster, sed Romano-Catholicus esto.

lib. 22.  
cap. 10.

in Psal.  
108.

Nunc ea inter pro Sanctorum Invocatione succedat Bellarmini Propositio secunda: *Sancti non sunt immediati (ergò mediati) intercessores nostri apud Deum, sed quidquid à Deo nobis impetrant, per Christum impetrant.* Quid inde sequitur? Ergò invocandi quidem sunt Sancti ut intercessores nostri, & juxta primam quoque Propositionem, ut impetratores Bonorum, verum non ut immediati, sed ut mediati, videlicet per Christum. Ut hac Propositionem suam demonstraret Bellarminus, præter *Ambrosii & Bernardi*, ad sequens etiam Augustini testimonium provocat, scribens: *Oratio, quæ non fit per Christum, non solum non potest delere peccatum, sed ipsa etiam fit peccatum.* Verum præter necessitatem orationis per Christum, id est, respectu meriti per Christum nobis impetrati, nulla planè invocationis Sanctorum, utut mediata saltem, in his Augustini verbis, sed & neque in antecedentibus, neq; in consequentibus mentio extat, quæ

quæ omninò requiretur, si hanc mediatam Sanctorum tanquam intercessorum & impetratorum invocationem exindè voluisset demonstrare. Tertia jam sequitur Propositio: *Sancti pro nobis orant, saltem in genere, secundum Scripturas.* Propositionem hanc facile possemus prætermittere, utpotè Evangelicis non oppositam, præprimis cum in testimoniorum ex Sacris Scripturis adductione nullum Augustini auctoritas locum habeat. Juvat nihilo tamen minus ultimum ex numero eorum ad Augustini Sententiam ponderare, ut constet, an ritè illud à Bellarmino fuerit commendatum. Agit autem illud de animabus Sanctorum Martyrum in Apocalypsi Iohanna à vindictam magno clamore de suis interfectores petentium, unde hanc Bellarminus necit consequentiam, Ergò misericordiam multò magis petentium fratribus suis. Et quia simul Brentii responsum; illas Orationes figuratè intelligentis rejicit, placet Augustini Sententiam audire, qui non uno in loco de hoc animarum clamore agit. Et primùm quidem in hæc verba: *Oritur quæstio, cur Sancti jam cum Domino manentes vindictam de inimicis expectant, cum Dominus in Evangelio dicat, Diligite inimicos vestros & orate pro persecutibus & calumniatibus vos? Sed sciendum, quia illi Sancti jam in conspectu Creatoris sui consistentes vident Illius voluntatem, & idè ab Ipso accipiunt, quod facere Eum velle noverunt, & de Ipso bibunt, quod de Ipso sibiunt. Petunt autem de inimicis vindictam duobus modis, & hoc causâ charitatis, ut scilicet, qui ad Vitam æternam sunt prædestinati, à malo ad bonum convertantur; qui verò præsciente Deo damnandi sunt, moriantur & peccare desistant, ut per hoc minorem pœnam in Inferno habeant, ubi unusquisque secundum qualitatem operum sustinebit magnitudinem pœnarum. Petunt autem porrò de reprobis vindictam, quia optant venire diem extremi iudicii, & resurrectionem suorum corporum præstolantur. Deindè autem figuratim exprimens sensum, hunc in modum: Sic anima occisorum clamant, vindicari se postulantes, sicut sanguis Abel clamavit de terrâ. Causa ergò sunt, quæ clamare dicuntur, cum loqui non possint. Sanguis enim effusus quid aliud, quàm judicari se postulat, clamans non voce, sed ratione? Nam & opus opificem laudare dicitur per hoc ipsum, quod videntem se oblectat. Non enim tam impatientes sunt sancti, ut urgeant jam fieri, quod sciunt tempore præfinito futurum, quod nec anticipari potest, nec differri. Sed hoc dicto ostendere voluit, Deum vindicaturum sanguinem Sanctorum suorum, ne, quia tam patiens nunc videtur, inultum putaretur impium Bellum, quod contra sanctos geritur, ut & terrorem incutiat servos DEI persecutibus, & exhorretur pro se patientes. Non adduxissem hoc testimonium, ex eo desumptum libro, quod supra non indubitanter Augustini esse monui, nisi & Interpretes Papæ ad ejus tenorem de hoc loco scripserint, nominatim Franciscus Ribera: *Queritur, quomodo nunc sancti vindictam de interfectores suis petant, quos amare ut proximos debebant, & quos amârunt, ac pro illis sæpe in ipsis etiam cruciatibus oraverunt? Absit enim, ut facti sint vitâ felicioribus crudeliter. Quæstio facile solveretur, si in animabus Martyrum clamantibus ipsos Martyres intelligamus, clamare enim dicerentur Martyres occisi, quia ipsorum corpora cruore conspersa & gravissimis cruciatibus adfecta ultionem à DEO petunt de impiis interfectores, sicut dictum est à Deo ad Cainum, Vox sanguinis Fratris clamat ad me de terrâ. Blafius Viegas, postquam utriusque Gregorii, & Romani sive Magni, ut vulgò audit, & Nysseni, Ambrosii item, quin & Chrysostomi verba de hoc clamore adduxit, hoc etiam Augustini testimonium laudavit. Quis audeat adfirmare, cum illi Sancti candidari se vindicari petierunt, contra ipsos homines, non contra regnum peccati petiisse? Nam ipsa est sincera & plena iustitia Martyrum vindicta, ut evertatur regnum peccati, quo regnante tanta sunt perpessi; ad cuius everisionem Apostolus etiam nititur dicens, Non regnet peccatum in mortali corpore vestro &c. Quamvis ingenue fateri cogar, hæc Augustini verba eo in Sermone, quem Viegas citavit, non legi, ut ad eò quoad numerum vel descriptor vel typographus errorem videatur commisisse, quod hic moneri oportuit. Ludovicus ab Alcasar, curiosissimus arcani Sensus in Apocalypsi vestigator, utut hic quoque, sicut aliis pluribus locis, aliam ab Antecessoribus viam susceperit lectandam, in explicando tamen clamore animarum sub Altari cum laudatis Interpretibus consentit, scribens: *Quia sanguis Christianorum in Persecutione morientium vindictam adversus persecutores clamabat, ut de Abelis cruore dicitur, idè fingitur apertissime, animas Martyrum, qui in Persecutione fuerant interfecti, sub Altari clamare, hoc est, ex ipsis met Sacrificiis, quibus persecutores DEO per gratum fieri putabant, tacitum quidem, sed efficacissimum prodire clamorem, ubique Martyrum animas videri postulare vindictam.***

Apoc. 6.

Homil. 11.  
de Sanctis.in Quæst.  
ex utroq;  
Testam.  
num. 68.Serm. 39.  
de Temp.

Hoc



Hoc autem non est agere elicto orationis actu, neque extremi Iudicii diem velle precibus antevertere, sed solum iudicare ultionem, quam sanguis Martyrum contra persecutores petebat, atque idem est, dici, animas petere vindictam, ac dici, earum sanguinem deponere illam. Et huc respexisse censendus est Fromondus Professor Lovaniensis, suam super hoc clamore Sententiam post alios omnes ferè sequentibus exprimens verbis: *Clamabant voce magna, qua magnum earum significat desiderium; dicentes, usque quò Domine &c. Non, quod moræ sint impatientes, aut tempus Resurrectionis à DEO constitutum velint brevitari. Cum enim sua ex DEI voluptate suspendant desideria, credere nefas est, eas quidquam contra DEI nutum cupere. Solum igitur illo loquendi modo significatur magnitudo desiderii earum rerum, quas Deum velle sciunt.* Hæc Illi, ad mentem, ut videtur, Augustini; quæ si valent, autoritate videlicet quatuor testium nixa, quibus alii etiam possent adjici, non video, quâ ratione & modo Bellarminus ex hoc animarum clamore possit demonstrationem sumere ad probandum, Sanctos pro nobis orare, saltem in genere, cum neque id positum sit extra omnem controversiam, undè hanc deduxit consequentiam, animas videlicet Martyrum hoc clamore suo propriè vindictam à DEO contra suos persecutores petere, Augustino & sequentibus Eum Interpretibus ingenuè fatentibus, figuratam esse hanc locutionem, nec quoad literam, prout jacet, intelligendam, sed ex aliis similibus & parallelis explicandam.

Quia verò Bellarminus ad tertiam hanc Propositionem amplius illustrandam addit, *Scripturam apertè docere communionem Ecclesiæ triumphantis cum militante, & eam exigere necessariò, ut membra pro se invicem sollicita sint & invicem se juvent, cum hæc natura sit membrorum sub uno capite viventium, laudato eam in rem Augustino, operæ erit pretium, breviter indicare, quid de eâ orthodoxè sit statuendum.* Et quidem Evangelicis hæc communio Ecclesiæ triumphantis cum militante non est contraria, eam ultrò agnoscentibus, neque etiam denegantibus aliquam Sanctis in Ecclesiâ triumphante jam viventibus, pro fratribus in Ecclesiâ militante adhuc sub variarum Persecutionum jugo constitutis sollicitudinem & pium ex eâ desiderium ardentis, quam sperant, conjunctionis; an verò ex hæc Sanctorum sollicitudine & desiderio sequatur, eos tanquam intercessores apud Deum & impetratores bonorum à nobis esse invocandos, non pauca nec exigua sunt dubitandi causæ, neque Augustinus ullam hic agnovisse legitur pro Sanctorum invocatione consequentiam, ipsam aliàs utriusque Ecclesiæ membrorum communionem nobiscum non negans, dum scribit:

lib. 20. de Civ. Dei. cap. 9. *Neque piorum animæ mortuorum ab Ecclesiâ separantur, quæ etiam nunc est regnum Christi. Et post aliqua: Regnat cum Christo Ecclesiâ nunc primum in vivis & mortuis. Propterea enim, sicut dicit Apostolus, mortuus est Christus, ut & vivorum & mortuorum dominetur.* Sed quid hæc communio Ecclesiæ militantis cum triumphante ad invocationem Sanctorum? Nihil omninò. Videamus jam, quæ quartâ sit Bellarmini ad hujus Controversiæ evolutionem Propositio: *Sancti, qui cum Christo regnant, orant pro nobis, non solum in genere, sed etiam in particulari.* Et si hanc quoque Propositionem Evangelicis concedere possent, sine ullo orthodoxiæ detrimento, utpotè nihil planè pro sanctorum invocatione consequenter inferentem; non tamen omninò præter rem erit videre, quid Bellarminus ad ejus demonstrationem adtulerit, præmissis cum Augustini iterum intercedat autoritas. Probatio hæc est: *Angeli orant pro nobis, & curam nostri gerunt, etiam in speciali. Ergò magis multo id spiritus hominum beatorum faciunt. Nam imprimis nihil eis deest eorum, quæ Angeli habent, quantum ad hoc munus pertinet, cum sint præditi intelligentiâ & voluntate, & adsint semper Deo, & nos vehementer diligant, ac demum sint Angelis æquales.* Deinde aliquid habent præ Angelis, quod sunt membra corporis Ecclesiæ magis conjuncta nobis, quam sint Angeli, & experti sunt miserrimas & pericula nostra, quæ Angeli non sunt experti. Et quia huic demonstrationi luxicivit objici, argumentum hoc concludete, si possit ostendi, quod, sicut Angeli hominibus præsunt, eosque custodiunt, atque rebus eorum interfunt, sanctorum quoque hominum spiritus ita faciant; idè ostendi posse existimavit Bellarminus, non solum ab Angelis, sed etiam à spiritibus beatorum hominum regi & gubernari fideles viventes, & hinc loco secundi pro quartæ Propositionis veritate argumenti ad sequentem Christi in Apocalypsi Johannæâ promissionem audacter provocavit: *Qui vicerit & custodierit usque in finem opera mea, dabo illi potestatem super gentes, & reges eorum in Firgâ ferreâ, & tanquam vas figuli confringentur, sicut & Ego accepi à Patre meo.*

lib. 20. de  
Civ. Dei.  
cap. 9.

cap. II.

meo. Ut oraculum hoc suæ adplicet Propositioni, ita de ejus sensu scribit: *Hic loquitur Iohannes de spiritibus mortuorum, & loquitur de tempore ante resurrectionem. Nam regere in virgâ ferrea non significat punire, quod etiam post resurrectionem fiet, sed significat regere virgâ pastorali, quod solum fit ante resurrectionem. Quod autem sequitur, & tanquam vas figuli confringet eos, non significat homines perdendos, sed peccatores, Christo peccata conterente & delente, ut Augustinus exponit. Fucum & hic Lectori facere studuit Bellarminus, eique incauto persuadere, quasi Augustinus huic suæ Expositioni favcat, cum tamen Augustinus in Psalmsi secundi Enarratione, ubi similis occurrit phrasîs, nullam planè hujus oraculi Apocalyplici fecerit mentionem, ut de sensu alieno, quem Bellarminus eidem adfinxit, nihil dicam, quem laudatos paulò ante Interpretes Apocalypnicos non adprobare, ex sequentibus Eorum verbis erit manifestum. Ribera certè Bellarmini Sententiam hic omninò deserit, scribens: Quod hic promittitur, post mortem est dandum; quare omninò loquitur de potestate, quam Sancti exercebunt in die Iudicii in omnes gentes, quæ Christo non paruerunt, eas cum Christo judicantes, & æterna Mortis supplicio tradentes. Et quoniam ultima hæc Sententia & damnatio omni supplicio & omni corporum læsione gravior est, ut ejus acerbitas aliquo modo à nobis intelligatur, solet exprimi verbis acerbissimas corporis læsiones significantibus. Et post aliqua Scripturæ dicta, quibus hoc confirmavit: Hanc igitur potestatem, quam Christus ut homo accepit à Patre, promittit se dare vincensibus, ut eos judicent, à quibus tentati sunt, ut corrumperebantur, & ipsi DEO obedire maluerunt, quàm voluptatibus cedere. Addit pro uberiori hujus suæ Explicationis Illustratione: Sciamus, quod ferreum est, in Scripturâ in malam accipi partem solere, id est, pœnam & afflictionem duram significare. Quare licet virgâ per se in bonum accipi possit, cum Pastoris est, virgâ tamen ferrea semper in malum accipitur, id est, pro gravissimo supplicio, quoniam omnia conterit & confringit, & gravissimum habet ictum. Præterea sciendum est, ubi nos habemus, & regit illas &c. in Græco esse, ποιμαίνω, pascet. Quare de virgâ Pastoris sermo est. Pascere autem sive regere poni solet, pro eo, quod est dominari, quia, qui pascit & regit, dominatur. Sumitur igitur à Pastore similitudo, qui virgâ ferreâ oves suas iratus percutit & perdit, significaturque dominatus Sanctorum in malos, & mortis æternæ sententia, quæcos sunt percussuri. Idcirco additur, & tanquam vas figuli confringentur. Nam ut vas fictile semel contritum reparari non potest, ita impii in æternam mortem & in perpetuum carcerem mittentur, undè nulla sit unquam spes exundi. Non examino singula, sufficit esse testimonium de domo contra Bellarmini sententiam, Virgas utut aliter de hoc statu oraculo, à Bellarmini tamen Explicatione itidem discedit, scribens: Existimamus, duos esse sensus loci hujus literales, unum, ut universa promittatur Ecclesiæ in rebus etiam temporalibus felicitas, quod nimirum gentes multas sibi subjiciat, imperium in subditos securè exerceat, tantâque sit potentiâ, ut rebelles possit facile coercere & hæreticorum impetus comprimere; alterum, quem etiam plerique adferunt, ut iis, qui vicerint, id est, Iezabeli Ejusque sectatoribus, videlicet, tum pravus hominibus, tum hæreticis semet strenuè & animosè opposuerint, promittatur, fore, ut ob eorum probitatem, adversusque Iezabelem animi magnitudinem in alto Dignitatis gradu collocentur, prelatique aliorum efficiantur, itaque ad eum evehantur locum, ex quo alios virgâ ferrea, id est, inflexibili & æquissima regant, Legumque sanctitate devinciant, rebelles autem ac petulantes imperio compescant, & Disciplina severitate in officio contineant, aut si nolint, pro ratione muneris in eos animadvertant. Qui Anno hujus Seculi post decimum quarto in tria Apocalypnicos capita priora edidit Romæ Commentarios Antiochus Sardus, Calaritanus, Ordinis S. Mariæ de Mercede Redemptionis captivorum, similem huic Explicationi paraphrasin in hæc verba exhibet: Pastoralis potestatis fastigium justis vincensibus hic promittitur. Bonis namque & justis in hoc Seculo imperium & gubernatio de jure debetur, eò quod lex DEI sit in corde justorum, & os illorum crebrò meditetur sapientiam, & tandem eorum lingua judicium semper loquatur, quæ omnia ad optimam gubernationem adprimè requiruntur. Pro confirmatione hujus suæ paraphraseos addit Augustinum, Trionium, Bedam, Ansbertum, & alios Expositores plerosque putare, Ecclesiam in Christo habuisse hanc potestatem, idque Primasium quoque, Augustini discipulum, Præceptorem sequendo adferuisse. Ut verò hanc Assertionem cum Paraphrasi suâ componat, subjungit: Dicere Ecclesiam consequutam fuisse istam promissionem per Christum, idem omninò est, ac si dicamus, fastigium Pastoralis officii, potestatis, dignitatis ac Prælatuæ justis, bonis & sanctis viris hoc in loco promitti.*

NB!

Quam

Quamvis enim Ecclesia potestatem presidendi super gentes habeat per Christum, hac tamen promissio regendi & gubernandi vincitibus; puta, bonis, justis ac piis viris duntaxat facta est. Ab hujus etiam Sententiæ examine abstinco, sufficit, cum eâ Bellarmini Expositionem stare non posse, quam etsi ultimæ Quæstionis loco proposuit, an nimirum Sancti in Patriâ aliquam super gentes habeant curam, ita ut eas virgâ regant ferreâ? Ita tamen ad eam respondit, ut parum è re possit videri & esse Bellarmini. Responsum hoc est: Non adparet procul dubio, quo-modo electi post mortem in Patriâ gentes regere dicantur, præcipue cum in illâ vitâ beatâ nullus sit, qui regatur in Virgâ ferreâ, ubi nihil distortum nihilque pravum invenitur; nisi fortè dicamus cum Dionysio Carthusiensi, quod Sancti in Patriâ potestatem sortiti sint subveniendi viatoribus, & gratiam boni regiminis eis procurandi impiosque torquendi. Hanc eandem Quæstionem attingere videtur Thomas, dum negat, Sanctos post mortem presidere mortalibus regendis. Quia verò major est & antiquior Thomæ, quàm Dionysii Carthusiensis autoritas, hinc Ejus Sententia hic etiam prævalere contra Bellarminum videtur. In hunc ferè modum Alcasar, utur in plerisque aliis novi aliquid invenisse velit videri: Valdè est optabile, ut præmium hoc referatur ad Beneficium, quo Deus in hac vitâ eos adficit, qui se in Evangelii prædicationem totos impendunt, atque ad hoc præstandum cætera relinquunt omnia, ut se Christi fidei promulgandæ consecrent, quemadmodum fecerunt Apostoli, & post illos Apostolici omnibus seculis viri. Nam licet Christo præmium Virgæ ferreæ in diem suæ Resurrectionis sit adservatum, ceterum quando Mundus nunc fruatur effectibus Virgæ Christi ferreæ, id est, ingenti ipsius efficacitate & potentiâ ad gentes sibi subjiciendas & suæ ditioni per earum sanctificationem subjugandas, ii, qui ut illius Ministri, atque ad eò ipsius Instrumenta, portionem aliquam ejus gloriæ participant, in hac Vita exercent illam Christi potentiam tanquam Ejus ministri, gentes in Ipsius obsequium virgæ potentiâ subjiciendo, quæ idcirco illis in hac vitâ tribuitur. Res ergo ipsa postulat, ut Virgam hanc ferream Viris Evangelicis in hac vitâ dari credamus. Itaque ratio cogit, ut illa verba, qui custodierit usque in finem opera mea, Ita explicentur, ut non solum sit Sermo de cælestis Beatitudinis præmio, sed de illo etiam, quod in hac vitâ consequuntur strenui Evangelica prædicationis ministri; illud enim, usque in finem, potest accipi non solum de Vita sine, sed de fine etiam & perfectione operum singulorum. Addantur antecedentia ibidem & sequentia, utpotè per quæ hæc Explicatio amplissimè illustratur, utut hinc indè occurrant non pauca, quæ censuram mereri videntur. Fromondi verba ad hoc Oraculum non adduco, quia non nisi Ribera Sententiam expriment. Satis autem hæc ostendunt, quàm impertinenter Bellarminus ad Augustini autoritatem in ejus ad præfens Institutum adplicatione provocaverit, & quâ ratione ab aliis, sui etiam ordinis, Interpretibus fuerit desertus, in quem finem testimonia eorum prolixius fuerunt adducta, ut videatur, quibus ii argumentis contra Bellarmini Sententiam militaverint.

lib. 7. de  
Bapt. c.  
Donat.  
cap. 1.  
de curâ  
pro mort.  
c. 16.

Nunc prætermisso Augustini testimonio, quo Bellarminus ad ulteriorem quartæ Propositionis demonstrationem utitur, ut Sanctorum in Cælis curam pro nobis in particulari etiam prober, exemplo Cypriani, de quo benè & speravit & optavit, ut Ejus adjuvetur orationibus, cum nemo non videat, illud Evangelicis non contrarium esse; ad id potius est respiciendum, quod ultimæ demonstrationis loco Bellarminus adduxit de adparationibus Sanctorum, apertè testantium, se pro nobis in particulari etiam orare, Augustino hoc Exemplum memorante: Non solum Beneficiorum effectibus, verum etiam ipsis hominum aspectibus Confessorem adparuisse Felicem, cum à Barbaris Nola oppugnaretur, audivimus non incertis rumoribus, sed testibus certis. Sed si Bellarminus sequentia Augustini verba vel legisset, vel accuratius ponderasset, ab hujus testimonii adductione forsitan abstinuisset. Ita autem pergit ibi Doctor augustissimus: Verum ista Divinitus exhibentur, longè aliter, quàm sese habet usitatus ordo, singulis, creaturarum generibus attributus. Non enim, quia in Vinum aqua, cum voluit Dominus, repente est conversa, idè non debemus, quid aqua valeat in proprio Elementorum ordine ab istius Divini operis raritate vel singularitate potius discernere. Nec quoniam Lazarus surrexit, idè mortuus omnis, quando vult, surgit, aut eo modo exanimis à vivente, quomodo dormiens à vigilante excitatur. Alii, itaque sunt humanarum rerum limites, alia Divinarum Virtutum signa. Alia sunt, quæ naturaliter, alia quæ mirabiliter fiunt; quamvis & naturæ Deus adsit, ut sit, & miraculis natura non desit. Non igitur idè putandum est, vivorum rebus quoslibet interesse posse defunctos, quoniam quibusdam sanandis vel adjuvandis Martyres adstant

„ adfunt, sed ideo potius intelligendum est, quod per Potentiam Divinam Martyres  
 „ vivorum rebus interfunt, quoniam defuncti per naturam propriam vivorum rebus  
 „ interesse non possunt. *Et insperanter laudanda est sancti Patris modestia, quam circa hujus*  
 „ *Quæstionis enucleationem adhibuit: Quamquam ista Quæstio meæ intelligentiæ vires*  
 „ vincat, quemadmodum videlicet opulentur Martyres piis, quos per eos certum  
 „ est adjuvari, utrum ipsi per seipsos adsint uno tempore tam diversis in locis & tantâ  
 „ inter se longinquitate discretis, sive ubi sunt eorum Memoriz, sive præter suas memo-  
 „ rias ubicunque sentiantur adesse; an ipsis in loco Meritis suis congruo ab omni morta-  
 „ lium conversatione remotis, & tamen generaliter orantibus pro indigentia supplican-  
 „ tum, sicut nos oramus pro mortuis, quibus utique non præsentamur, nec ubi sint, vel  
 „ quid agant, scimus, Deus omnipotens, qui est ubique præsens, nec concretus nobis,  
 „ nec remotus à nobis, exaudiens Martyrum preces, per Angelica Ministeria usque  
 „ quaque diffusa præbeat hominibus ista Solatia, quibus in Vitæ hujus miseriâ judicat  
 „ esse præbenda, & suorum Martyrum merita, ubi vult, quando vult, quomodo vult,  
 „ maximeque per eorum Memorias, quoniam hoc novit expedire nobis ad ædifican-  
 „ dam Christo fidem, pro cuius illi confessione sunt passi, mirabili atque ineffabili  
 „ potestate ac bonitate commendat? Res hæc altior est, quam ut à me possit attingi,  
 „ & abstrusior, quam ut à me valeat perscrutari, & ideo, quid horum duorum sit, an ve-  
 „ rô fortassis utrumque sit, ut aliquando ista fiant per ipsam Martyrum præsentiam,  
 „ aliquando per Angelos personam Martyrum suscipientes, definire non audeo, mal-  
 „ lem à scientibus ista perquirere. Non subjungo, quæ in his Augustini verbis præci-  
 „ pua merentur observationem, ne nimis iudicio Lectoris videar diffidere, qui facili  
 „ operâ ex eis poterit eruere, quæ contra Bellarminum hic intervenire videbuntur.

Restat jam quinta Propositio excutienda, quæ ipsum Quæstionis controversiæ  
 caput attingit: *Sancti sive Angeli sive homines piè ac utiliter à viventibus invocantur.*  
 Confirmare eam laborat Bellarminus prolixissime, adductis in medium testimoniis Scri-  
 pturæ, Conciliorum, Patrum Græcorum & Latinorum, Miraculis etiam variis non  
 unius generis & speciei. Nobis iterum Augustinus tantum est respiciendus, & vi-  
 dendum, an Sanctus Pater Doctorque Augustus in hoc etiam puncto noster sit? Et qui-  
 dem ad hujus suæ Propositionis demonstrationem in acie locat sequentia ex libro Jobi  
 verba: *Voca, si quis est, qui tibi respondeat, & ad aliquem Sanctorum convertere.* Addit, cap. V.  
*Augustinum nomine Sanctorum intelligere Angelos, ad Ejus Annotationes in hunc*  
*librum provocans, de quibus in antecessum, quid ipse Doctor Augustus in suis Re-*  
*tractationibus scripserit, non planè nullius operæ erit pretium observare. Ita autem*  
*de his Sanctus Pater: Liber, cujus est titulus, Annotationes in Tobum, utrum meus sit*  
*habendus, an potius eorum, qui eas sicut potuerunt, vel voluerunt, redigere in unum*  
*corpus descriptas de frontibus Codicis, non facile dixerim; sicut enim paucissimis intelli-*  
*gentibus sunt, qui tamen necesse est offendantur, multa non intelligentes, quia nec ipsa*  
*verba, quæ exponuntur, ita descripta sunt multis in locis, ut adpareat, quid exponatur.*  
*Deindè brevitatem sententiarum tanta secuta est obscuritas, ut eam Lector vix ferre pos-*  
*sit, quem necesse est plurima non intellecta transire. Postremò tam mendosam comperi*  
*opus ipsum in Codicibus nostris, ut emendare non possem, nec editum à me dici vellem,*  
*nisi quia scio Fratres id habere, quorum studio non potuit denegari. In ipso Anno-*  
*tationum libro, ut hodie extat, sequentia ad laudatum pro Sanctorum invocatione*  
*testimonium ibi leguntur: Invoca, si quis tibi respondeat; Illis enim respondetur, qui*  
*mundi sunt coram Deo. Etenim stultum perimit ira, id est, indignatio, quâ quisque*  
*angitur, tanquam iniquè sibi aliquid acciderit, dum non cogitat, usque adeò se im-*  
*mundum esse coram DEO, ut invocanti non Angeli respondere, aut se demonstrare*  
*dignati sint. Qui enim hoc non cogitat, stultus est, & irâ irrationabili interimitur;*  
*aut idcirco Angelos non audire, non videre potest stultus, quia interemitus est irâ & à ze-*  
*lo occisus. Possent hæc videri non planè nihil ad Angeloduliam conferre, si esse*  
*possemus indubii, Augustinum ea agnovisse pro suis, aut si agnoverit, ad su-*  
*am, & non potius Eliphazi mentem scripsisse, volentem scilicet explicare Sen-*  
*tentiam verborum ejus, quibus Jobo impatientis animi indignitatem objecit, un-*  
*dè tamen, an invocatio Sanctorum vel hominum vel Angelorum per justam confe-*  
*quentiæ vim possit deduci, ex aliis & recentioribus quidem inter ipsos Romanenses In-*  
*terpretibus adeò perspicuum non est. Esthius certè, qui hæreticos quosdam istis verbis*  
*ad impugnandam sanctorum invocationem, quasi ignorent preces nostras, imperitè nimis,*

uti scribit, hanc tamen eorum ex Ebræo exhibet paraphrasin: *Convertere ad Sanctos, an aliquem reperias, qui tibi sit similis, id est, circumspice, an aliquis Sanctus & Iustus ita à DEO flagelletur, sicut Tu; & cum neminem inveneris, intellige ex his plagis, Te non esse justum. Certè manifestissimum est ex precedentibus & sequentibus, Eliphazum disputando obtinere nihil aliud voluisse, quam Iobum pro peccatis suis à Deo flagellari, ac sedicari: Cum homo comparatione Dei non possit justificari, & in Angelis suis repererit pravitatem, in nunc & disputa cum Deo, quando nec ad aliquem Angelorum merito audeas pro hac tua Sententia vultum attollere, cum & ipsimet inventi sint instabiles quoad naturam suam.*

*Sanctius* agnoscit, in varias Explicationes patere hunc locum, & aded explicari variè, ut nemo ferè sit ex recentioribus, qui cum alio sentiat; post aliquot earum recensionem addens, *constitutum se non habere, quam magis probet Sententiam*, in eo tamen Esthio contrarius, quod non scribat, hæreticos contra Romano-Catholicos, sed hos contra illos Invocationem Sanctorum negantes testimonium hoc advocare, laudatis Bellarmini verbis, *magnum ex hoc loco firmamentum sumere eorum Sententiam, non quidem ab authore Eliphazo, qui Scriptor Canonicus non sit, sed quia hæc verba indicunt consuetudinem Sanctorum patrocinia invocandi; contra quæ tamen, quid excipi aut instantiæ loco possit reponi, dum sine dubio ipse Sanctius non nescivit, ided hanc Sententiam noluit esse suam, malens in dubio hære, quam aperte suo contribuli contra-dicere aut scribere. Boulducus nullà planè Bellarminianæ Explicationis factâ mentione; ita de his Eliphazi verbis scribit: Infert vel per modum conclusionis, quam per particulam ERGÒ exprimit Interpres, vel per modum exhortationis, ut vult Textus, Iobum esse velut unum ex insipientibus, præsertim ob suum lamentandi modum, quem tanquam novum, nec prius auditum, nec usurpatum ab ullo sanctorum reprehendit, q. d. Quamvis diligenti perscrutatione tam vivorum, quam mortuorum fidelium monumenta revolvas, prorsus nullum invenies, nec unum mihi nominare poteris, qui unquam, sicut tu, lamentatus sit, aut huiusmodi verbis impatientiâ plenis usus. Et post aliqua: Nullum ex omnibus Sanctis ac Deum timentibus mihi nominare poteris, qui tibi in hoc adsimiletur. Et iterum post quadam: Investiga diligenter, stullus unquam Sanctorum tibi in hoc adsimiletur, Talis lamentandi modus infidelium potius est & eorum, qui ignorant Deum, quam eorum, qui Eum agnoscunt & colunt; & quæ cum tantâ exandescentiâ protulisti verba, sanctum & pium Virum omninò dedecet. Adhuc semel: Contemplare, & mente omnium Sanctorum actus sermonesque revolve, & videbis, nullum eorum tibi respondere aut adsimilari. Addit tandem, hunc esse sensum huius loci, ostendunt sequentia immediatè verba. Quid autem hæc, quælo, ad Invocationem Sanctorum, quem tamen Bellarminus modis omnibus exinde laboravit exculpere? Sed & neque sequens testimonium magis ad rem facit, quod Exodus Mosaica præbet, ubi sequentia Moysi ad Deum verba leguntur: Recordare Abrahami, Isaaci & Iacobi, servorum tuorum. Ad quod dum contra Invocationem Sanctorum excipi non nescivit Bellarminus, ejusmodi verbis non peti auxilium à meritis Sanctorum, sed solum commemorari pactum, quod Deus cum Patriarchis fecerat de protegendis & adjuvandis eorum posteris; ided respondit, Solutionem hanc non facere satis, cum alibi & pactum Dei & Iustitia Sanctorum simul commemorentur. In quem finem cum aliqua Scripturæ dicta laudasset, hic ob vitandam prolixitatem, & quia ad Institutum directè non pertinent, nulli obnoxia Examini, sequentia Augustini verba loco Explicationis commendavit: Admonemur, cum merita nostra nos gravant, ne diligamur à Deo, relevari nos apud Eum meritis illorum posse, quos Deus diligit. De ipsâ hæc Augustini Sententiâ jam non dico sententiam, cum huius loci id non sit; quæro tamen, an per legitimam exinde deduci possit consequentiam, Sanctos, quos à DEO diligi credimus, à nobis invocandos esse. Si id ex his verbis, etiam juxta Augustini sensum, poterit elici, de alio solliciti erimus responso.*

cap. 32.

Quæst.  
149. in  
Exod.Tract. 84.  
in Joh.

Sequuntur jam alia Sancti Patris testimonia numero tria, quibus Invocationem Sanctorum stabilire conatus est Bellarminus, de quibus quam brevissimè & tribus tantum verbis, quid statuendum sit, indicabimus. Primum hoc est: *Non sic Martyres ad Mensam Domini commemoramus, quem ad modum alios, qui in Pace requiescunt, ut etiam pro eis oremus, sed magis, ut orent ipsi pro nobis, ut eorum adhareamus vestigiis.* Quid de oratione pro defunctis fidelibus ex Augustini & Veteris Ecclesiæ Sententiâ haberi

haberi debeat, suo supra loco est indicatum. Nunc illud tantum meretur observari, augustissimum Doctorem in his verbis nihil omnino de Invocatione Sanctorum Martyrum passiva habere, sed de activâ tantum egisse, eanimirum, quâ piè cum pluribus aliis credit, Sanctos Martyres in Statu Ecclesiæ triumphantis pro viventibus adhuc in Ecclesiâ militante fidelibus Deum omnium bonorum largitorem clementissimum invocare, quâ in re Evangelicos Augustino non admodum contrarios esse, antea non semel est ostensum. Secundi eadem est ratio testimoni, quod ita habet: *Habet Ec-* Serm. 17. de Verb. Apost.  
*clesiastica Disciplina, quod fideles noverunt, cum Martyres eo loco recitantur ad Altare DEI, ubi non propis, pro cæteris autem defunctis oratur; Injuria est enim orare pro Martyre, cujus nos debemus commendari Orationibus.* De tertio aliter planè est sentiendum, quod pleno contextu ita legitur: *Etiâ provivus sepeliendis corporibus apud memoriam Sancto-* de curâ pro mort. cap. 4.  
*rum locus, bonæ adfectionis humana est erga funera suorum; quoniam si non nulla religio est, ut sepeliantur, non potest nulla esse, quando, ubi sepeliantur, attenditur. Sed cum talia reorum solatia requiruntur, quibus eorum pius in suos animus adpareat, non video, quæ sint adjumenta mortuorum, nisi ad hoc, ut, dum recolunt, ubi sint posita eorum, quos diligunt corpora, eisdem Sanctis illos tanquam Patronis susceptos apud Dominum adjuvandos orando commendent, quod quidem facere possent, etiamsi talibus locis eos humare non possent.* Plura ibidem in hunc sensum extant, quæ tamen, utpotè à Bellarmino etiam ommissa, hic prætermittuntur. Ad quæ, præter id, quod consummatissimus Tridentinæ Synodi Examinator Chemnitius ex ipsâ Seculi illius quo Augustinus vixit & docuit, historiâ notanter observavit, illud in primis dignum est, quod advertatur, Sanctum Patrem hic non tam in sua, quam eorum personâ, non tam ad suam, quam eorum mentem scripserit, quatum temporis jam nimium Sanctis Martyribus cultum præter S. Scripturæ ductum adtribuere cæperunt, quem quia non omnino tollere potuit, ad minimum, & quantum in viribus fuit, omni modo studuit mitigare & emollire, rigorosissimus aliàs & alibi cultus soli DEO debiti, ad quem honor Invocationis præsertim pertinet, contra quamvis indebitum Hagio- & Martyroduliam Vindex & Defensor, cujus aliquot conf. Del. l. de obj. cultus, lib. III. c. 24 p. 490. lib. 10. de Civ. Dei, cap. 4.  
documenta hæcenus fuerunt producta, & plura proximè sequentur à corruptelis Bellarmini ex debito liberanda: Nunc, ne responsum ad ultimum ex augusto Doctore testimonium videatur carere fundamento, ipsius verbis id firmabimus: *Multa de cultu Divino usurpata sunt, quæ honoribus deseruntur humanis, sive humilitate nimia, sive adulatione pestifera; ita tamen, ut quibus ea deseruntur, homines haberentur, qui dicuntur colendi & venerandi, si autem eis multum additur, & adorandi.* Addit in Commentariis pro ultimi hujus vocabuli temperamento Ludovicus Vives, Papista-Hispanus: *Nam homines etiam in S. Literis adorantur, genere quodam Reverentiæ & cultus.* Restat nunc, ut porro etiam videamus, quomodo Bellarminus quintam Propositionem suam de Invocatione Sanctorum tandem quoque conetur demonstrare per Miracula, quibus sancti sepius demonstrarint, se viventium preces audire, & posse eos ac velle etiam jurare, à quibus invocentur. Id ut probeat, dum ad Augustini quoque provocat auctoritatem, quod usque ea hic attendi debeat, breviter indicandum est. Verba autem, ad quæ Bellarminus lectorem ducit, hæc sunt: *Etiâ nunc sunt mi-* lib. 22. cap. 3.  
*racula in Christi nomine, sive per Sacramenta Ejus, sive per orationes vel memorias Sanctorum Ejus.* Atqui supra jam, ubi de Miraculorum gloriâ contra Bellarminum ex hoc ipso Augustini loco prolixissime fuit actum, laudati modò Ludovici Vivi Notatio est commendata, scribentis, *Non esse dubium, quin in hoc capite multa sint addita, velut declarandi gratiâ, ab iis, qui omnia magnorum Auctorum scripta spurcis manibus suis contaminabant.* Deindè illud etiam iteratò observari debet, Augustinum ita de his loqui Miraculis, ut ea in longè minori æstimo habenda censuerit, quàm Miracula in S. Literis descripta, id quod verbis sequentibus clarè satis indicavit: *Non eadem claritate illustrantur, ut tantâ, quantâ illa, gloriâ diffamantur. Canon quippe Sacrarum literarum, quem diffamatum esse oportebat, illa ubique facit recitari, & memoria cunctorum inherere; hæc autem, ubicunque fiunt, ibi sciuntur, vix à totâ civitate ipsâ vel quocunque commanentium loco. Nam plerumque ibi etiam paucissimi sciunt, ignorantibus cæteris, maxime si magna sit civitas; & quando alibi aliisque narrantur, non tanta auctoritas ea commendat, ut sine difficultate vel dubitatione credantur, quamvis Christianis fidelibus à fidelibus indicentur.* In primis autem observandum est, fallere Bellarminum & semetipsum & Lectores, si per Orationes Sanctorum intelligit passivas, quâ ipsos Martyres Sanctos ab hominibus adhuc vivis, tanquam

adjutores & bonorum impetratores vult invocari, probaturus per hoc Augustini testimonium, ipsos Martyres Sanctos sapissime per Miracula demonstrasse, se vi ventium preces audire, & posse etiam ac velle eos jurare, à quibus invocentur; cum tamen ex proximè sequenti capite luce meridianâ clarius sit, Eum hic quoque, sicut alibi sapius, de Orationibus Sanctorum activis, quâ illi pro hominibus adhuc vivis Deum, omnium verè Bonorum datorem clementissimum, invocant, egisse. Id ut Lectori sit manifestum, juvat ipsa iterum, quamvis paulò prolixiora, Augustini verba huc ponere, quibus egregiè suam de fine & scopo miraculorum expressit Sententiam: *Cui nisi huic Fidei ista attestantur Miracula, in quâ predicatur Christus resurrexisset in carne, & in Cælum adscendisset cum carne? Nam & ipsi Martyres hujus Fidei Martyres, id est, hujus Fidei testes fuerunt, huic Fidei testimonium perhibentes Mundum inimicissimum & crudelissimum pertulerunt, eumque non repugnando, sed moriendo vicerunt. Pro istâ Fide mortui sunt, qui hæc à Domino impetrare possunt, propter cujus nomen occisi sunt. Pro hac Fide præcessit miracorum patientia, ut in istis Miraculis tanta eorum potentia sequeretur. Nam si carnis in æternum resurrectio vel non prævenit in Christo, vel non ventura est, sicut prænuntiatur à Christo, vel sicut prænuntiata est à Prophetis, à quibus prænuntiatus est Christus, quare Martyres tanta possunt, qui pro eâ Fide, quâ hæc resurrectio predicatur, occisi sunt. Si ve enim Deus ipse per seipsum miro modo, quores temporales operatur æternus, si ve per suos ista faciat ministros, & eadem ipse, quæ per ministros facit, si ve quedam faciat etiam per Martyrum spiritus, sicut per homines adhuc in corpore constitutos, si ve omnia ista per Angelos, quibus invisibiliter, immutabiliter, incomparabiliter (aliàs incorporaliter) imperat, operetur, ut quæ per Martyres fieri dicuntur, eis orantibus tantum & impetrantibus, non etiam operantibus fiant, si ve alia fiant istis, aliis illis modis, qui nullo modo comprehendendi à mortalibus possunt, ei profectò attestantur hæc Fidei, in quâ carnis in æternum resurrectio predicatur. Possent ex sequenti etiam capite in hunc finem aliqua adjici, nisi ex his jam sufficienter pateret, Augustinum eo in loco, ad quem Bellarminus provocat, agere de Miraculis, quæ fieri credidit per Martyres non ab aliis adorandos vel invocandos, sed Deum pro aliis adorantes & invocantes, quod hic iterum observasse satis esse potest. Videt hinc etiam Lector, perperam fieri à Bellarmino, dum inter eos Ecclesiæ Doctores Augustinum hic quoque nominavit, de quibus audacter pronuntiat, quod vel Sanctos doceant invocandos, vel à quibus Sancti sint invocati memorent, neutro horum ex laudato augustissimi Patris testimonio hæcenus firmatos; sicut & illud ab Eo præter ullam Veritatis speciem legitur scriptum, Sanctum hunc Doctorem disertè locis paulò ante laudatis docere, quod in ipso Sacrificio fiat memoria Martyrum & invocentur, ut pro nobis orent, cum postremum hoc in nullo eorum, quæ Bellarminus ideò adduxit, expressè legatur, nec etiam per justam consequentiæ vim inde deduci possit.*

NB.

Rom. 10.  
Gen. 48.

Et quia hæcenus per confirmationem suarum Propositionum ex Augustino Invocationem Sanctorum, videlicet passivam, probare ex debito non potuit Bellarminus, super tandem nunc est, ut id etiam portò videamus, an prosperiori successu pro eâ militaverit per infirmationem eorum ex Augustino testimoniorum, quæ contra hanc invocationem Sanctorum communiter solent in medium adduci, quamvis pro confirmatione ejus statim sub initium ex Augustino aliquid occurrat, quod prætermittendū omninò non est. Dum enim ad primum ex sacris testimonium contra Invocationem Sanctorum respondere laborat Bellarminus, nimirum ad notum illud Apostoli Oraculum: *Quomodo invocabunt, in quem non crediderunt?* dicens: *nomen invocationis vel Fidei non soli Deo in Scripturis tribui, dixisse enim Jacobum, Invocetur nomen meum super Pueros hos, & nomina Patrum meorum, addit, ex hoc loco Augustinum docere Invocationem non solum DEI, sed hominum esse.* Possent hic etiam repetere ac meum facere Bellarmini responsum, quo eum supra, ubi de Petrà Ecclesiæ fuit actum, contra Augustini explicationem vidimus usum, scribendo, *Augustinum ex solâ Lingua Ebrææ ignorantia esse deceptum.* Verum ne Sancto huic Patri ac Doctori augustissimo aliquam ignorantia labem sine aliis & quidem domesticis testibus videar adfricare, ac in non planè nullum autoritatis detrimentum adspargere, non præterrem erit, si unius & alterius è Papæ Interpretibus super his Jacobi verbis Sententiam audiamus, inter quos *Esthii* non immeritò primum hic occupat locum, utpotè in terminis hanc Bellarmini ex Augustino explicationem rejiciens: *Quidam, ut Oleaster, & ex Scriptoris Pœlemicis Eccius & Bellarminus, hinc statuunt Invocationem Sanctorum. Sed non est necessum huc recurrere. Nam ubicunque per totam Scripturam invocatur DEVS Abrahami, Isaci & Jacobi, aut proco-*

rum

rum respectu pii homines exaudiri à DEO petunt, ibi & ipsi suo (quodam) modo invocantur, de quo tamen supra ex Augustino jam fuit dictum. At vero quod hic dicitur, Invocetur super eos nomen meum &c. Secundum phrasin Ebraicam sensus est, ut Ephraim & Manasses tanquam ex Jacobo geniti nomine Ejus gaudeant, æquè ac alii Ejus filii. Et in hunc sensum præter Marianam Bonfrerius quoque hæc Jacobi verba intelligit, nullà Bellarminianæ Explicationis factâ mentione. Quin & qui ante hoc Seculum ex antiquis Græcorum Theologis Catenam sive Explicationem locorum in Pentatevcho subobscuriorum Colonie cum Facultate & licentiâ Inquisitoris ordinarii publicavit Franciscus Zephyrius, Florentinus, hanc verborum Jacobi exhibuit paraphrasin: De me dicantur exorti, & nomine meo & majorum cognomento gaudeant, perindè ac Ruben & Indas, alique. Inde Augustinus ipse alibi antecedentia Jacobi verba quadam de hisce Nepotibus suis explicaturus, ita Jacobum ad filium Josephum de iis loquentem sùstitit: Tui duo filii, qui facti sunt tibi in terrâ Ægypti prius, quàm ad te venire in Ægyptum, mei sunt; Ephraim & Manasses, tanquam Ruben & Simcon erunt mihi, in nomine fratrum suorum adpellabuntur in Sortibus eorum, hoc est, simul hereditatem capient cum fratribus suis, ut simul vocentur filii Israel. Clarè hic Augustus Pater Jacobi mentem expressit, ut ipsam ex Ebræo Textu locutionem juxta sensum propriè literalem ob Ejus linguæ ignorantiam non intellexit, quod laudati Interpretes ingenuè agnoverunt.

Quæst. in  
in Genes.  
lib. I. n.  
164.

Nunc ad ea respiciamus loca, quæ contra Sanctorum Invocationem ex Augustini autoritate adferri solita Bellarminum infirmare conatum monui, inter quæ illud Apostoli eminet oraculum, quo unus Mediator DEI & hominum dicitur Iesus Christus, undè illud sequi indubium est: Si solus est mediator Christus, injuriam Ei facit, quicumque per alium accedit ad Deum, Augustino id agnoscente, dum notanter scripsit: Si Iohannes diceret, Hæc scripsi vobis, ut non peccetis, & si quis peccaverit, mediatorem me habetis apud Patrem, Ego exoro pro peccatis vestris, sicut Parmenianus loco quodam posuit Episcopum mediatorem inter populum & Deum; quis cum ferret bonorum atque fidelium Christianorum, quis sicut Apostolum Christi, & non sicut Antichristum intueretur? Et infra: Si esset mediator Paulus, essent utique & ceteri Ejus co Apostoli; at simul essent mediatores, nec ipsius Pauli constaret ratio, quâ dixerat; unus DEUS & unus mediator DEI & hominum. Bellarminus multa colligit, ut hoc Apostoli oraculum contra Invocationem Sanctorum ex Augustini autoritate infirmet, quamvis exiguo cum successu. Tribus nimirum de causis Christum dici unum & solum Mediatorem scribit, tres etiam addens modos, quibus mediator unus duos reconciliare possit dissidentes, ex quorum consideratione ad laudatum Augustini testimonium responderi posse existimat. Nam quia, inquit, Donatistæ putabant, à sacerdote Sacramenti gratiam pendere, ita ut sacerdos bonus baptizans sanctificaret, sacerdos malus baptizans pollueret, & proindè faciebant sacerdotem quodammodo mediatorem redemptionis; idè Augustinus docet plebem esse securam, sive à bono, sive à malo baptizetur, quia unus est mediator DEI & hominum Christus. Quod autem non neget Augustinus, sacerdotem posse dici mediatorem orando, patet, quia ibidem dicit, Christianos rectè facere, cum se invicem orationibus commendant. Et ubi tertiam proposuit causam, cur solus Christus sit mediator inter DEUM & homines, idè nimirum, quia ipse solus nullo mediatore alio indigeat, cum ceteri inter Sanctos, etiam meditatores sint inter DEUM & nos, quia DEUM precibus suis propitium nobis reddunt, tamen & ipsi indigerint Deo per Christum Mediatorem reconciliari, & nunc etiam, quidquid nobis impetrant, impetrent à DEO per Christum; addit, Augustinum quoque secutum esse hanc rationem, ibidem loci scribentem: Homines Christiani omnes invicem se commendant orationibus suis. Pro quo autem nullus interpellat, sed ipse pro omnibus, hic unus verusque est Mediator. Subjungit porro Bellarminus: Patet hinc alia solutio ad argumentum ex Verbis Augustini. Non enim negat, quin sacerdos possit esse Mediator orando pro populo, nisi in eo sensu, quo mediator Dei & hominum dicitur, qui pro omnibus interpellat, & ipse nullo eger, qui pro se interpellat, aut per quem interpellat. Quia insuper non ignoravit Bellarminus, quid ex ultimis Augustini verbis à semetipso laudatis possit consequenter, quin & Ipse per id ad non planè nullum deduci absurdum, videlicet, eo sensu, quo Christus, etiam Sanctos dici posse Mediatorem, ut potè pro aliis orantes, pro quibus tamen nemo intercedit, ut potè jam in æternæ Beatitudinis statu viventibus, ad eòq; nullà amplius oratione & intercessione indigentibus; hinc ulterius respondendo absurda absurdis, incertaq; incertis cumulare hunc in modum pergit:

1. Tim. 2.

lib. II. contra Parm.  
cap. 8.



Augustinum, cum ait, Christum pro nobis interpellare, velle dicere, Christum esse, quem omnes interpellant ut omnium Mediatorem, siue illi pro se, siue pro aliis orant. Addit, hoc modo interpellat Christus nunc pro Beato Petro, non quod oret pro Eius salute, sed quia interpellat pro Salute meâ, quam Petrus etiam postulat; alioquin etiam Angeli mediatores essent eo modo, quo Christus, nam Angeli orant pro omnibus, & nemo pro illis. Sed idè non sunt mediatores eo modo, quo Christus, quia ipsi egent Christo, per quem impetrant nobis à DEO Beneficia. Ita sibi Bellarminus fingit hypotheses æquè dubias ac incertas, ac id, quod ex iis demonstrare satagit, infirmare simul ausus, quod Augustinus tanquam extra omnem controversiam positum adfirmavit & confirmavit, videlicet Christum & solum & verum esse Mediatorem, ut potè quo ipso Romanensium errorem antequàm natus esset, prædamnavit, plures hoc Elogio maectantium, & Mediatorum numerum, qui tantum singularis esse debebat, per multiplicationem in Arithmeticâ Christologicâ inauditam indebitè augmentium. Neque quidquam iuvat rem hanc, dum Bellarminus putat, quia Augustinus ipse tanquam rectè factum laudat, si Christiani se invicem orationibus commendant, neque Eum negasse, Sacerdotem posse dici mediatorem orando; cum alia longè ratio sit orationis & intercessionis mutæ, quâ vel Christiani alter alterum, vel Sacerdos auditores suos DEO in precibus commendat, quorum utrumque & in Sacris Literis mandatum & Exemplis non unis commendatum, neutrum verò de Sanctis jam demortuis legitur, ut nimirum eos tanquam mediatores inter nos & Deum invocemus, quos potius hoc Apostoli oraculo, juxta sensum Augustini quoque, ab hoc Elogio exclusos scimus, quidquid etiam sit de fictitiâ distinctione inter Mediatorem redemptionis & intercessionis, inter Mediatorem quoque mediatum & immediatum, item inter mediatorem ratione officii & nature, cum si applicatio earum ad Sanctos jam demortuos facienda sit, id non nisi præter, imò contra Scripturam fiat, eâque rejiciatur facilitate, quâ primum adseritur. Quæ præterea Bellarminus pro infirmatione testimonii ex Augustino ad laudandam Mediatoris unitatem commendati excipit de Donatistarum Sententiâ, contra quam ibi Augustinum ad unum Apostolo duce Mediatorem Christum provocasse certum est, scopum non feriunt, neque ratio argumentationis Augustiniana admittit, imò apertè repugnat, dum expressissimè significetur, Augustinum contra eam Donatistarum Sententiâ ibi egisse, quâ Episcopum dixere mediatorem inter Deum & populum, contra quam ex Apostolo unum Mediatorem propriè ita dictum commendans, simul eam quoque mediationis significationem voluit abolitam, quam Sanctis jam demortuis Papæi hodie adscribunt, augustissimo Doctore alibi etiam Angelis, quos hoc in negotio cum Sanctis jam demortuis in eodem ordine collocant, hunc honorem denegante, & pro laudatâ Mediatoris unitate hanc Confessionem edente: *Ad illud non solum beatum, sed beatificum etiam Bonum non oportere quæri alios Mediatore, per quos arbitremur nobis per-ventionis gradus esse molientes.* Accedit, eundem Sanctum Patrem alio in loco hoc notabile inter Sacerdotem Veteris Testamenti typicum, & Sacerdotem Novi antitypum quoad hoc Intercessionis oratoricæ officium observasse discrimen: *Scriptum est, si peccaverit populus, orabit pro eo Sacerdos; si autem Sacerdos peccaverit, quis orabit pro eo? Sed illud de illo Sacerdote est scriptum, ut admoneretur populus, in Prophetiâ, talem se agnoscere Sacerdotem debere, pro quo nullus posset orare. Quis autem est, pro quo nullus orat, nisi ille, qui pro omnibus interpellat? Quia ergo tunc Sacerdotum erat Leviticum, ubi Sacerdos intrabat in sancta, & offerebat hostias pro populo, habebat autem imaginem, non veritatem futuri cujusdam Sacerdotis; tunc enim & ipsi Sacerdotes erant peccatores, sicut ceteri homines; volens DEUS per Prophetam admonere populum, jam talem desiderandum esse Sacerdotem, qui interpellaret pro omnibus, & pro Eo nullus oraret, designans talem admonuit & dixit, si peccaverit populus &c. Itaque, O popule, talem elige Sacerdotem, pro quo non cogaris orare, sed de cujus oratione pro te securus esse possis. Ipsi est Dominus noster IESUS CHRISTUS, unus Sacerdos, unus Mediator DEI & hominum &c. Et quia in primo Eius testimonio ad laudatum Pauli oraculum paralleli ex Johanne loci de Advocato & Intercessore Christo facta est mentio, non incongruum erit adicere Eius observationem, ibi exhibitam, ubi ex professo de eo egit: *Videte ipsum Johannem, servantem humilitatem. Certè Vir justus erat & magnus, qui de pectore Domini mysteriorum secreta bibeat; Ille qui bibendo de pectore Domini divinitatem ructavit. In principio erat Verbum &c. Ille talis vir non dixit, Advocatum habetis apud Patrem, sed, si quis peccaverit, Advocatum habemus, inquit, non dixit, habetis; nec dixit, me habetis, me dixit, ipsum habetis Christum, sed & Christum posuit, non se, & habemus dixit, non habetis.**

lib. 9. de  
Civ. Dei.  
cap. 15.

in Psalm.  
36. vel 37.

Malin

Maluit se ponere in numero peccatorum, ut Christum haberet Advocatum, quam ponere se pro Christo advocatum, & inveniri inter damnandos superbos. Fratres, Iesum Christum, justum ipsum habemus Advocatum ad Patrem, Ipse propitiatio est peccatorum nostrorum. Hoc qui tenuit, haresin non fecit; hoc qui tenuit, schisma non fecit. Unde enim facta sunt schismata & hareses? Cum dicunt homines, nos justi sumus; cum dicunt homines, nos justificamus immundos, nos justificamus impios, nos petimus, nos impetramus. Iohannes autem quid dixit? Et si quis peccaverit, Advocatum habemus &c. Quot hic verba & Iohannis & Augustini, tot sunt argumenta contra Invocationem Sanctorum tanquam Mediatorum & Intercessorum, cum uterque, & Apostolus verè Theologus, & augustissimus Hipponensis Ecclesiæ Præsul, nullum huius Elogii præter singularem numerum agnoscant, idque remotis omnibus Sanctis, sive mortuis, sive vivis, soli Christo in solidum adscribant. Si enim Sancti adhuc vivi illud sibi arrogare sine suspitione arrogantia ac humilitatis detrimento non audent, qui tamen ad mutuas pro aliis preces se non ignorant obligatos, id quod Sanctus Pater ibidem Scripturæ testimoniis confirmat; multò minus illud cogitandum est de Sanctis ab omni labe peccati jam liberis, nisi magis tunc superbos dicere velimus, quam Angelicos Spiritus, in quorum vivunt consortio, de quibus tamen certi sumus, quod honorem hunc neque ambiant, neque admittant, ubi in ipsorum est potestate, hunc sibi indebitum repellere cultum. Patet hinc etiam, illa Augustini ex testimonio priori verba, quibus notanter dixit, eum esse unum verumque Mediatorem, pro quo nullus, ipse verò pro omnibus interpellat, non esse limitativa, neque ita debere intelligi, quasi Christus eâ duntaxat ratione sit & dicatur unus Mediator, quia Ipse pro omnibus interpellat, & nullus pro eo; sed potius *rationis* *cinativa*, hoc nimirum modo, Christum inde ac idè solum esse & unicum Mediatorem tum Redemtionis, tum Intercessionis, quia Ipse solus interpellat pro omnibus. Quamvis enim Christiani ex necessitate præcepti sese invicem suis orationibus Deo commendent, & alter pro altero intercedat; non tamen sunt vel dici possunt propriè dicti Mediatores, etiam Intercessionis solum, cum hic honor vi plenariæ redemtionis & Meriti undiquaque sufficientis soli & in solidum Christo debeat, id quod occasione Oraculorum Pauli & Iohannis, omni exceptione majorum, Augustinus in locis jam laudatis & alibi non semel tam egregiè confirmavit, ut non nisi plurimarum absurditatum labyrintho se necessum habuerit induere Bellarminus, dum veritati tam manifestæ tenebras offundere tentavit, singularem unici & veri Mediatoris Christi numerum in pluralem præter & contra Scripturæ augustissimique Patris auctoritatem in Solis mensâ positam mutare ausus. Addantur ea Sancti Doctoris loca, quibus illud classicum ex ore Christi oraculum explicatur, quo se *Viam Veritatem & vitam* plurimâ eum observatione dixit, & nihil planè ad integritatem rei amplius desiderabitur, ne Augustinus in hoc etiam puncto totus non noster sit.

vid. D. Gerhard. Tom. 8. LC. num. 430. pag. m. 803.

Joh. 14.

Pergamus autem in vindictis argumentorum contra Invocationem Sanctorum profertur solitorum, quæ Bellarminus infirmare omnibus conatur viribus. Sequitur ergò illud, quod sumitur à denegatâ Sanctis Omniscientiâ speciali & singulari, ad eòque eorum etiam, quæ ab illis petuntur & quorum causa invocantur; ad cujus confirmationem præter clara satis Scripturæ dicta sequens Augustini testimonium præprimis infervire potest, hunc in modum scribentis: *Si rebus viventium interessent animæ mortuorum, & ipsa nos, quando eas videmus, adloquerentur in Somnis, ut de aliis taceam, me ipsum pia Mater nulla nocte desereret, qua terrâ marique secuta est, ut mecum viveret. Absit enim, ut facta sit vitâ felicior crudelis, usque adeò, ut quando aliquid angit cor meum, nec tristem filium consoletur, quem dilexit unice, quem nunquam voluit maestam videre. Sed profectò, quod sacer Psalmus personat, verum est; Quoniam Pater meus & Mater mea dereliquerunt me, Dominus autem adsumsit me. Si ergò dereliquerunt nos, Patres nostri, quomodo nostris rebus & curis intersunt? Si autem parentes non intersunt, qui sunt alii mortuorum, qui noverunt quid agamus, quidve patiamur? Esaias Propheta dicit, Tu es Pater noster, quia Abraham nos nescivit, & Israel non cognovit nos. Si Patriarchæ tanti, quid erga populum ex his procreatum ageretur, ignoraverunt, quibus Deo credentibus populus ipse de illorum stirpe promissus est; quomodo mortui vivorum rebus atque actibus cognoscendis adjuvandasque miscentur? Libuit hoc Augustini testimonium aliquantò prolixius, quam à Bellarmino exhibetur, referre, quia video, recentem quendam & celebrem aliàs Scriptorem, in suis ad Hæc oraculum *Notis Philolo-**

de curâ Pro mort.

c. 13.

Psal. 26.

vel 27.

cap. 63.

*gico-Theologicis*, Augustinum accensere Pontificiis, ut id eludant, objicientibus, Abrahamum & Israellem illos non novisse Iudeos, qui tempore Esaiæ vixerint, cum iidem tum in Limbo essent constituti; aliam autem esse rationem Sanctorum cum Christo jam in caelesti Gloria existentium. Opus est, ut credamus, Virum aliàs doctum & in antiquorum Scriptis non planè nihil verlatum, hoc Augustini testimonium non eo in loco inspexisse, ubi quam-maximè oportuit, seque à Scriptore partis adversæ seduci passum fuisse. Sed videamus, quid Bellarminus opponat, ne Doctor augustus Evangelicis contra Invocationem Sanctorum tanquam res nostras ignorantium favore videatur. In genere quidem quatuor proponit ex diversis Authoribus modos, per quos putat, Sanctos mortalium in hac vitâ res & actiones cognoscere, primum & ultimum Augustino adtribuens, & quidem ex eodem Libro, unde Eum modò testem contra Sanctorum Omniscientiam & cognitionem satis luculentum vidimus. Primum esse dicit, *quos sancti res mortalium cognoscant ex relatione Angelorum, qui nunc ad Caelos ascendunt, nunc inde ad nos descendunt.* Ultimùm verò, *Sanctos non videre quidem in Verbo nostras Orationes à principio suæ Beatitudinis, sed tunc solum revelari eis à DEO, quando eas fundimus; sic enim Prophetas DEO revelante futura cognovisse, & multos Sanctorum hic etiam in terrâ illud à DEO habuisse donum, quo cogitationes hominum cognoscere & facta etiam occultissima, tantoque magis esse credendum, Sanctos in Cælo pollere hoc dono, & hanc esse apertam Augustini Sententiam.* Potuisset Bellarminus unum adhuc addere modum, quo Sanctos in Cælo mortalium in terrâ res aliquatenus cognoscere tradidit ibidem Augustinus, *per eos nimirum, qui hinc ad eos moriendo pergunt, hâc tamen cum limitatione: Non omnia, sed quæ sinuntur indicari, qui sinuntur etiam ista meminisse, & quæ illos, quibus hæc indicant, oportet audire.* Verùm etsi ambabus, quod ajunt, vel etiam quatuor, si essent, manibus hanc Augustini Sententiam de triplici modo, quo Sancti in Cælo mortalium in terrâ res cognoscere creduntur, amplecteremur, id quod sine læsâ Fidei analogiâ fieri posset, ut ut expressâ Scripturâ literâ destituamur; nondum videre tamen licet, quid inde ad probandam Sanctorum Invocationem sequatur. Posito enim, cognoscere Sanctos ex parte res mortalium per eos, qui ex hac Vita per mortem beatam in Abrahami sinum congregantur, per Angelos item DEI ministros ad homines, sæpiusque hinc inde ascendentes & descendentes, quin & per singularem à DEO revelationem, quo nimirum modo Deus aliquando extra ordinem sanctis hominibus in hac etiam Vitâ quædam occultissima gratiosè revelavit; quid hæc ad ordinariam cognitionem, & quæ omniscientia verè dici posset & deberet, quâ Sanctos in Cælo præditos esse oportet, si eos cunctorum mortalium preces & momentaneas orationes audire, nostrasque in specie ex iis necessitates cognoscere credimus. Certè relationes mortuorum pertinent ad jam præterita, auditio autem & exauditio precum requirit cognitionem præsentium. Et si ex Angelorum narratione aliquid cognoscunt Sancti, is tamen limitibus circumscriptam credere oportet, quibus humanam circumscriptam Augustinus, ad Divinam dispositionem & licentiam referens. Divina Revelatio, quam omninò negare, nescio, an consultum sit, extra tamen ordinaria est, adque communem non trahenda regulam, quæ necessaria esset, si de scientiâ & cognitione Sanctorum à nobis juxta adversæ partis hypotheses religiosè invocandorum certè omninò esse vellemus. In specie ad ipsum Augustini testimonium contra Sanctorum in Cælis cognitionem tria Bellarminus excipit, quibus infirmare illud conatur, ne id dicat & confirmet, cujus rei causâ communiter solet laudari. Primum respicit ipsum Isaïæ oraculum, ex quo Pater augustus contra dictam Sanctorum cognitionem argumentatur. Quia enim illud de cognitione propriâ exponit, inquit Bellarminus, ideo responderi potest, *Abrahamum & Israellem & alios Patres Veteris Testamenti non cognovisse posteros suos viventes, quia nondum beati erant, & naturaliter mortui non sciunt, quid viventes agant.* Secundum agit de ipsâ cognitione, quam Augustinus ob hoc ipsum Isaïæ oraculum sanctis in Cælo denegavit, de quâ Bellarminus eisdem censet, *loqui sanctum Doctorem ibi de cognitione & conversatione naturali, hæcque solum contendere, mortuos non versari nobiscum, nec esse sollicitos de rebus nostris, nec eas cognoscere, sicut faciebant, cum hic viverent; nam quod supernaturaliter Divinâ revelatione sciunt, quæ hic agantur, aperte ipsum docere, verbis proximè citatis & ab inconsequentia vindicatis, & quod virtute Divinâ possint etiam hic venire, & nobis aperire, Eum docere ibidem, verbis, quæ paulò ante in gratiam Lectoris prolixissimè fuerunt*

de curâ  
pro mort.  
cap. 15.

runt exscripta, unde satis paruit superque, quam modeste simul & dubitanter in hoc negotio ex sacris Literis non demonstrabili versatus fuerit Augustinus, nihil audacter definiens vel pronuntians, quod hodie insolenter à Papæis Doctoribus fieri manifestum est. *Tertium* Bellarmini effugium, ad ipsam Augustini Matrem pertinet, de quâ dum Sanctus Pater scribit, quod etsi, quoad viveret, tenerrimè ab Eâ fuerit dilectus, post mortem beatam tamen ab Eâ sit omninò derelictus, Regii Pfaltis verba huc spectantia sibi adplicans, indeque confirmans, Sanctos in Cælis non interesse rebus nostris neque eas cognoscere; Responso loco excipit, *Sanctos quidem cognoscere preces nostras, & posse, quando volunt, ad nos venire, tamen propterea eos non omnia scire nostra, nec ad nos interesse rebus more humano, & id exemplo Matris suæ Augustinum probare.* Ad singula paucis aliquid dicendum, & quidem ad primum, non sufficere, quod Bellarminus putat, responderi posse, sicut ipsi juxta hypotheseas receptas, & quas defendere suscepit, visum est; sed ita responderi debere, sicut mens Prophetæ requirit, & quia de Augustini agitur auctoritate, attendendum esse, quem in finem ipse Doctor Augustus hoc usus fuerit oraculo videlicet non ut confirmaret Limbum illum fictitium, cui Veteris Testamenti Patres cunctosque illo tempore fideles in verâ & salvifica Fide atque sic beatè mortuos absque sacrarum Literarum manu ductione includunt Doctores Papæi: sed & ut in genere demonstraret, mortuos vivorum rebus atque actionibus cognoscendis adjuvandisque non misceri, quæ consequentia non valeret, si denegata Abrahamo & Israeli cognitio & notitia de suis in hæc Vitâ nepotibus & posteris ad Veteris solum Testamenti tempora referri deberet. *Ad secundum* verò, ipsam distinctionem inter cognitionem naturalem & supernaturalem, id est, ordinariam & extraordinariam, quâ Bellarminus apertissimam Augustini Sententiam infirmare conatur, multò magis eam confirmare. Hactenus enim non semel dictum est, id quod extra ordinem fit, ad ordinarium referri non posse vel debere cursum, qui tamen hic quammaximè requiritur, si invocatio Sanctorum defendenda sit, inutilis planè, nisi indubium sit, sanctos cognoscere res mortalium atque audire preces eorum, à quibus religiosè, vel potius, si verum dicere licet & scribere, irreligiosè invocantur & tanquam intercessores, impetratores & adjuutores adorantur. *Ad tertium* denique, si Sancti non perpetuò rebus interfunt nostris, neque omnia cognoscunt, dubium esse ad minimum atque incertum, quod tamen Bellarminus loco hypotheseos nullâ probatione indigentis proponit, Sanctos cognoscere preces nostras, & posse ad nos venire, quando velint eum id, ultimum in primis, non ab eorum voluntate liberâ, sed à dispositione & dispensatione Divinâ eaque extraordinariâ pendere, Augustinus supra agnovit & confessus fuerit, nullis tamen aliis è Sacra Scriptura Exemplis id confirmare potens, quàm Moysi & Samuelis, de quibus itidem supra, quid statui debeat, ex occasione fuit indicatum. Verum sicut Augustinus in vindicato hactenus contra Bellarmini exceptiones testimonio, satis clarè omniscientiam & omnimodam vel ordinariam rerum humanarum cognitionem sanctis, quos Papæi Doctores invocari & adorari volunt tanquam Mediatores & Intercessores, ut & tanquam impetratores bonorum & auxiliatores, denegavit, quod nulli non attento Lectori manifestum est; ita alibi etiam hæc de re suam ita proposuit Sententiam, ut nihil exinde certi liceat pro omniscientiâ Sanctorum concludere, quod argumento esse potest, eam in mente Doctoris sancti non fuisse usque ad eò indubiam. Verba Patris augustissimi hæc sunt: *Non sit nobis religio cultus* de V. Re. lig. c. ult. *hominum mortuorum, quia si pè vixerunt, non sic habentur, ut tales querant honores; sed illum à nobis coli volunt, quo illuminante latantur, meriti sui nos esse consortes.* Et post aliqua: *Hoc ipsos optimos Angelos & excellentissima DEI ministeria velle credamus, ut unum cum illis colamus DEum, cujus contemplatione beati sunt; neque enim & nos videndo Angelos beati sumus, sed videndo Veritatem, quâ etiam ipsos diligimus Angelos, & his congratulamur. Nec invidemus, quod eò paratiores vel nullis molestis interpedientibus perficiuntur; sed magis eos diligimus, quoniam & nos tale aliquid sperare à communi Domino jussi sumus. Quare honoramus eos charitate, non servitute; nec eis Tempia construimus. Nolunt enim se sic honorari à nobis, quia nos ipsos, cum boni sumus, Tempia summi DEI esse noverunt.* Et iterum post aliqua: *Quisquis Angelorum* (Bellarminus addit, vel hominum) *diligit hunc Deum, certus sum, quod etiam me diligit. Quisquis in illo manet, & potest humanas preces sentire, in illo me exaudit. Quisquis ipsum habet Bonum suum, in ipso me adjuvat, nec mihi ejus participationem potest invidere.* In ultimis hisce verbis et si Augustinus videri possit Sanctis (vel hominibus, juxta Bellarminum, vel) Angelis aliquam

aliquam precum humanarum notitiam, quin & adjuvandi potestatem adscripsisse, nemo tamen non etiam videt, dubitanter Eum nihilo minus loqui, nihilque omnino certi adferere. Bellarmini hæc est observatio, *rectissime Augustinum scribere. Addit, quia multi manent in Deo, qui non possunt humanas audire preces, videlicet illi omnes, qui sunt in charitate, & tamen nondum sunt beati. Nam omnis, qui manet in charitate, in DEO manet; & tamen non omnis, qui manet in charitate, jam est in Cælo beatus.* Atqui Sanctus Pater ibi loquitur in specie de illis, qui jam sunt in statu æternæ Beatitudinis, quorum aliquibus etiam si videatur, ut dixi, aliquam precum humanarum notitiam & adjuvandi potestatem adtribuere, id tamen aliâ ratione intelligendum non est, quam quâ alibi extra ordinem per Divinam dispositionem & dispensationem tale quid fieri scripsit. Et notandum est præpmissis, id quod Augustinus ante & Presbyteratum & Episcopatum scripsit de Sanctorum notitiâ & potestate adhuc dubitanter, Episcopum post factum, & ætate ac judicio maturiori præditum, ductuque Sacrarum Litterarum omnino negasse, ut ex testimonio prolixè vindicato patet.

Ad ultimum nunc ut tandem deveniamus argumentum contra irreligiosam & superstitiosam Invocationem Sanctorum proferri solitum, illud ex Evangelicorum mente ita proponit Bellarminus: *Si invocatio Sanctorum superstitione & Ethnicâ careret imitatione, certè non peteretur ab uno Sancto unum, ab alio aliud; cum DEUS unus sit autor omnium Donorum, & is aequè possit per intercessionem unius, ac per intercessionem alterius quidlibet concedere.* Omisit egregium ex Augustino locum, quo imitatio Ethnicâ in

lib. 4. de  
Civ. Dei.  
cap. 22.

hoc Puncto manifestè ostenditur, ubi ex Varrone sequentia leguntur: *Utilem esse Deorum cognitionem, si sciat, quam quisque DEUS vim & facultatem aut potestatem cujusque rei habeat, ex eo enim posse sciri, quem cujusque rei causa Deum advocare atque invocare oporteat, ne faciamus, ut Mimi solent, & optemus à Libero aquam, à Limphis vinum.* Addit Doctor Augustinus: *Magna sanè utilitas! Quis non huic gratias ageret, si vera monstraret, & si unum Verum Deum, à quo omnia essent Bona, hominibus colendum doceret?* Bellarminus præter id, quod antiquam hanc esse dicit querimoniam, in specie Manichæorum, ad aliquem ex Augustini contra Faustum Manichæum libris provocans locum, ubi tamen nihil de hæc occurrit Quæstione, ad rem ipsam dicit, *Deum posse, si voluerit, per quemlibet Sanctorum omnia concedere, & sine Sanctis etiam multa vel omnia dare; Interdum velle tamen unius intercessione miraculum aliquod operari, aliud vero alterius intercessione.* Et ne hoc ex suo fingere ingenio videatur, addit pro confirmatione hujus sui responsi: *Quis novit consilium Dei, aut quis Ei dicere potest, cur ita faciat?*

Epist. 137  
ad Cler. &  
Popul.  
Hippon.

*Sicut etiam per unum multa Deus operatur miracula, & per alterum fortasse majorem nulla, cujus rei causam solus Ipse novit, ut Augustinus docet, scribens: Ubique quidem Deus est, & nullo continetur vel includitur loco, qui condidit omnia. Verum tamen quis potest Eius consilium perscrutari, quare in aliis locis hæc fiant Miracula, in aliis non fiant? Multis enim notissima est Sanctitas loci, ubi B. Felicis Nolani corpus est conditum, quò volui ut pergerent, (duo Clerici) quia nobis inde facilius fideliusq; scribi potest, quidquid in eorum aliquo Divinitus fuerit pro palatum. Numquid non & Africa Sanctorum Martyrum corporibus plena est? Et tamen nusquam hic scimus talia fieri. Sicut enim dicit Apostolus, non omnes sancti dona habent curationum; Ita nec in omnibus Sanctorum Memorii ista fieri voluit ille, qui dividit propria unicuique, sicut vult.* Atqui ut de potestate & voluntate DEI, quam utramque Bellarminus hic urget, prolixè non agamus, cum limitare illam, hanc vero extra revelationis terminos definire humanam transcendat imbecillitatem, ipso juxta Apostoli & Augustini monitum agnoscente Bellarmino, neminem mortalium nosse Domini consilium, vel audere facti rationes ab Eo petere; ea quæ Augustinus Doctor hic & alibi de miraculis ad memorias Sanctorum in genere, in specie autem ad Felicis Nolani sepulchrum factis memorat, non probant Invocationem Sanctorum, sed comprobant & confirmant illius Doctrinæ veritatem, quam hi Martyres sancti constantiter fuerunt professi, sanguine etiam & tandem morte eam obsignantes.

Et si hæc Tractatio de cultu Sanctorum justo prolixior possit videri, nihilque eorum deesse, quæcunque vel ad discussionem, vel ad Vindicias locorum ex Augustino utrinque adductorum pertinere ex Instituto videbantur, prætermittere tamen non possum, quò minus aliqua subijciam ex Epitomatore Anatomico operum Augustini, *Matthia Hauzerio*, Ordinis Francisci, qui post Bellarminum ad locum in primis ex libro de *Verâ religione*, classicum, quo Evangelici contra Sanctorum cultum solent uti, eas sibi visus fuit observasse, contra quæ nemini posthæc liceat mutire, aut quidquam amplius

excipere. Verba è posteriori Anatomix Tomo sunt sequentia: *Si Christus, qui est ipsa Via, Veritas & Vita*, positus est in ruinam & resurrectionem multorum, & in signum, cui contradicitur, quidni & hic Augustini contextus? Sed sicut Christus ex se fuit tantum in Resurrectionem, non autem in ullius ruinam, nisi ex ejus perversitate & malitia; ita neque hæc, nec ulla alia Augustini doctrina. Non enim ullus hinc vel aliundè haufit & concepit spiritum hæreticum, sed eo jam præoccupatus & adflatus, hinc & undecunque sibi comparavit suffragia, & pravitate hæreticâ in suum contorsit favorem. Quamvis enim hic contextus truncatum videatur sonare contra cultum & invocationem Sanctorum & Angelorum, integer tamen & vivus spirat potius & respirat verum cultum & invocationem Sanctorum. *Et postquam partem verborum Augustini adduxit, quæ contra Bellarminum vindicavimus, hæc porrò subjungit: Ubi satis expressâ ad Christianos monitione meritò non sunt colendi homines mortui, vel quia non sunt amplius veri homines, vel quia non sunt colendi quatenus mortui, sed quatenus apud Deum vivunt vitâ Gratiæ & Gloriæ æternæ, secundum illud Christi, Deus non est Deus mortuorum, sed vivorum, id est, non dicitur specialiter DEVS Abraham, Isaac & Jacob, tanquam DEI amicorum, quatenus sunt mortui, sed quatenus apud Deum vivunt in æternum; vel quia non sunt colendi secundum corpora mortua, subjectione quâdam animi ad illa, cum homines vivi eorumque animi sint illis præstantiores; vel denique quia loquitur tantum hic de religione, cultu, adoratione & servitute antonomastice, pro suo principali significato. Nec obstat quod negativâ præposita religioni, cultui, adorationi, servituti videatur non tantum negare principale, sed totum & omne significatum. Non enim potest negare cultum, adorationem & servitutem naturalem, humanam, civilem, qualis debetur Parentibus, Majoribus &c. Ergò non omnem, sed ad summum, quatenus pertinent ad religionem; Ita ut tota difficultas sit, utrum religio tantum significet Virtutem, quâ DEUS solus colitur immediatè, an verò etiam secundariò illam, quâ coluntur aut honorantur Sancti propter excellentiam supernaturalem in gratia & gloria DEI? Vbi etiam ex opere Augustini contra Faustum, & de Civitate Dei loca citavit parallela, per quæ putavit hunc quoque locum posse explicari, addidit porrò: Ne hic contextus videatur ullis indigere supplementis, patet, non negari hic omne significatum religionis, sed principale tantum & finale, primò, ex titulo & hæc relatione finali totius operis & tandem hujus integri textus ad principale significatum religionis, religet ergò nos Religio uni Deo omnipotenti, quia inter mentem nostram & Deum nulla est interposita creatura. Talis utique & tanta religio non sit nobis cultus Sanctorum, sive hominum, sive Angelorum, quia solus DEUS est objectum illud & finis, cui omnes animæ & Angeli immediatè uniri, adhærere & religari debent, non autem sibi invicem, sed eidem coadhærere & colligari. Deinde, ex hæc ipsâ Sententia, quæ non negat, quin possit esse aliquid religionis, sed non esse cardinem, caput, finem religionis, ac si quis diceret: Non sit nobis cura de hæc vita, victu & vestitu, id est, non principalis, non finalis. Quod autem Sancti non querant tales honores &c. vel intelligitur de tali & tanto, vel quod ne quidem querant sibi ullos honores proprios, sed solius DEI cultum & gloriam, & nostrum in DEI cultu & amore consortium. Unde subdit, Honorandi sunt ergò propter imitationem, non adorandi propter Religionem; quæ honoratio non restringitur ad solum honorem imitationis, sed dirigitur & refertur ad finem imitationis & consortii Sanctorum in cultu & amore ejusdem Dei, ut patet primò ex illativâ, Ergò, & relativâ ad illum finem immediatè præcedentem; Secundo, ex particulâ Propter, quæ non significat speciem seu modum honoris, sed finem honorationis; tertio, ex honore charitatis, quem expressissimè eis tribuit infra; quarto, ex honore invocationis, intercessionis, exauditionis & adjutorii, quem ipsis etiam tandem defert infra, quas propè omnes honoris species & fines brevius exprimit ac distinguit in opere contra Faustum, sed non opus est hoc supplemento, scribit Epitomator Anatomicus, addens porrò: Negari autem ibi Sanctis adorationem tantum, sicut & cultum ac religionem, pro suo principali significato Patriæ seu honoris Divini interioris & exterioris, patet etiam primò, ex illâ oppositione cum honore Sanctis utique proportionato, qui sicut & quævis profunda reverentia communi adorationis nomine passim in Sacris etiam Literis & ab Augustino significatur. Secundo, ex sequenti vel restrictione, vel fine, vel ratione adorationis negativæ, q. d. Non adorandi &c. non quâlibet adoratione, sed principali, vel ex principali virtute religionis, aut propter propriam ejus rationem & finem principalem. Tertio, ex resumptione & explicatione*

hujus

hujus adorationis & illius honorationis infra hæc verba, *Quare honoramus eos charitate &c.* ubi hoc, *Quare*, refertur immediate ad idem, ad quod illud, *Ergo*, supra videlicet, ut unum cum ipsis Angelis bonis Deum colamus. Quem autem supra dixit honorem Imitationis, vel propter Imitationem, hunc dicit hic Charitatis, vel ex charitate, utique erga sanctos & bonos Angelos recipiatur, ut sicut illi non querunt honorem proprium, sed nostrum in colendo ac amando Deo consortium, ita & nos ad eorum imitationem & consortium eundem unicum cum ipsis colamus & amemus Deum, quod est vera charitatis Dei, simulque recipere proximi, ut infra sæpè apud Augustinum. Quod verò subdit, *non servitute*, idem est ac supra, *non adorare propter religionem*. Nam adoratio pro principali significato est servitus etiam pro significato principali, id est, Patriæ. Dari enim quandam servitutem Dulia sacram erga proximos toto genere inferiorem Patriæ erga Deum, verbatim exprimit etiam Apostolus, scribens, *servite invicem in charitate*, Gal. 5. *Gr. ἀλλήλοις*, id est, servite invicem dulia; ubi etiam servire in Charitate convenit hic cum honore ex Charitate. Sed Augustinus vocat potius honorem ex Charitate, quam servitutem Dulia etiam, quia vult, animas non debere servitutem Angelis ex naturæ quædam servili conditione, prout hic infra & alibi sæpè. *Hæc omnia & adhuc longè plura sibi dem Epitomator Anatomicus*, ut vindicatum contra Bellarminum Augustini locum, & quæ ad illius pertinent contextum, Evangelicis eriperet ac significaret, nihil in eo reperiri contrarium cultui Sanctorum, quem in Ecclesia Romanensi non privatum, sed publicum licet intueri, & in cujus gratiam tot Volumina prostant eorum, qui in hoc etiam capite errores manibus palandos satagunt defendere. Non exscripsissem autem prolixum hunc Discursum, forsitan non sine aliquo Lectoris fastidio, nisi Veritatis quosdam radios exhiberet, ex mediis errorum tenebris non obscure micantes, quos observasse & immixtos errores simul breviter perstrinxisse, non erit planè nullius operæ pretium, nec ab Instituto præsentis abluens. Et quidem generale quod attinet responsum, quasi nemo nisi hæretico adflatus spiritu hæc Augustini verba intelligat contra cultum Sanctorum, qualis videlicet Romanensibus plerisque in usu est atque exercitio, condonari debet: ejus rigor Authori inter errores Idololatrias enutritis; qui fuit ab initio operis in præfatione ad Lectores significavit, *se proponere sibi Doctrinam & Canones Sacro sancti* (quæ etiam omnino sacerdotum) *Concilii Tridentini, in regulam & finem exponendi totam Augustini doctrinam*, ad quam toto hoc opere tanquam ad Pharum navigare & collimare studeat, ita ad finem Vindictarum hujus ex Augustino testimonio ad mentem suam testatus est, hæreticos, uti vocat, *sistendos & convincendos de licito & salutaris cultu honoris ac invocationis Sanctorum & Angelorum beatorum secundum definitionem Concilii Tridentini & præsertim publicam ac in Ecclesia Catholica approbatam*, nullâ Scripturæ vel Augustini factâ mentione, utriusque videlicet verbis ad Normam tantum Tridentinam intelligendis & explicandis, vel potius vi etiam adhibita extendendis ac detorquendis. In responso specialiter inveniuntur rationes, ob quas putat cultum hominum mortuorum ab Augustino prohiberi & reprobari. Primam hanc esse dicit, *quia non sunt amplius veri homines*. Ut Questionem Philosophicam ab Annis non ita multis rigorosè tractatam hic prætermittam, utpotè ab Instituto alienam, *an homo mortuus sit verus homo dicendus*; valde dubito; in mentem hoc venisse Augustino, ubi contra cultum hominum mortuorum scripsit, & num hæc ratio ipsum potuisset movere, quod minus justum putaret, hominibus mortuis aliquem deferre cultum. Certè, si homines mortui non sunt homines veri, sequitur, esse falsos, ad minimam æquivocè sic dictos; quod, ut de homine mortuo absque lumine Divinæ revelationis consideratò nunc non dicam, an de fidelibus & sanctis secundum potentiam Animæ portionem in æternæ Beatitudinis, etiam nondum omninò consummatæ statu apud Deum viventibus possit verè dici, Anatomici fodalibus & quibusvis aliis considerandum relinquo. Secundam rationem quasi ex Augustini mente ponit hanc, mortuos non esse colendos, *quatenus sunt mortui*; ob verba Christi, quibus Deum dixit non esse Deum mortuorum, sed vivorum. Verum sicuti Christus hoc argumento legitur usus contra Sadducæos, ita non video, quâ ratione id possit adplicari ad præsentem Controversiam, nisi forsitan hoc argumento: Quorum Deus est Deus, illi vivunt, ac per consequens non quatenus mortui, sed tanquam vivi à vivis sunt colendi & adorandi. An verò hæc consequentia ad hypothesen Augustini in hoc testimonio ritè suat, & conclusio legitima pro cultu Sanctorum inde possit deduci, nescio, an ita sit manifestum. Tertiam in dubio est, num quis Sanctorum cultores sint admittendi, qui dum non integra solum corpora eorum, quos ob Canonisationem Romanam colunt tanquam Sanctos, sed &

particulas quasdam minores, imò lacinijs non ratò de Vestimentis ipsorum singulari honore, ex. gr. genibus flexis, manibus in Cœlum sublatis, osculo etiam præbito, & quæ plura Superstitionis Idololatricæ documenta notantur, adficiunt, vix negabunt, *animi etiam subjectione se ad illa ferri*, ac comet ipso agnoscent hæc seipsis præstantiora. *Quartam* denique Anatomicus Epitomator ipse vidit indigere uberiori demonstratione, id eò eam prolixiorẽ dare laboravit, quamvis parùm proficiens, & rem ipsam magis involvens, quàm evolvens, quandoque etiam contra seipsum dicens testimonium. Ut brevibus hoc expediatur, ad statum Controversiæ non pertinet, quæ de cultu & honore Parentibus & aliis Majoribus debito habet, quem neque Augustinus vocavit in dubium, nec Evangelici, quod constat & manifestum est. Agnosimus nimirum & urgemus quàm maximè, Augustinum hic disputare contra cultum Sanctorum, *quatenus pertinet ad religionem*, quam ubi videmus distingui inter primariam & secundariam, non possumus aliter, quin dicamus, esse illud non solum contra Scripturam, sed & contra Augustini mentem, iis etiam verbis expressam, quæ iteratò hic legi digna sunt: *Religiet nos Religio uni Deo omnipotenti, quia inter mentem nostram & Deum nulla est interposita creatura.* Hæc dum ex Augustini Sententia sunt & manent certa atque indubia, nullus superest locus huic limitationi, per quam *videtur aliquid esse Religionis*, quod præter Deum hominibus etiam atque Angelis possit adtribui. Impertinens iterum est allegatio verborum Christi *contra Vitæ, victus & vestitus curam*, nisi quatenus Evangelici ea sibiita possunt adplicare ac dicere, quod, quemadmodum Scriptura utriusque Testamenti sufficienter alibi expressit, quousque nominis cura in temporalibus se extendat, ita Augustinus in hoc eodem testimonio satis clarè significavit, quo honore adficiendi sint Sancti, excluso tamen omni cultu religioso. Cætera, quæ subsequuntur, sine ullà difficultate possunt debitis expediri responsis, modò mens Augustini ritè attendatur partim ex modo dictis, partim ex iis, quæ contra Bellarminum ad hoc idem testimonium sunt observata, ne semper eadem cogamur oberrare chordà, ac nimiam Lectoris patientia in prolixiori frivolarum objectionum Examine contra decorum & cum fastidio abuti.

## LIBRI SECUNDI

DE

## ECCLESIA TRIUMPHANTE,

CAPVT PRIMUM &amp; seqq.

DE

*Reliquiis Sanctorum.*

UT quæ Evangelicorum circa hanc Quæstionem sit Sententia, ab initio fiat perspicuum, eòque sit opera facilior vel vindicandi, vel explicandi, àque impertinentibus Bellarmini citationibus liberandi loca Augustini instituto huic aliquatenus intervenientia, placet in antecessum audire ipsius augustissimi Doctoris de hoc argumento confessionem, verbis sequentibus expressam: *Non contemnenda sunt & abjicienda de- lib. I. de* functorum corpora, *maximèque justorum ac fidelium, quibus tanquam Organis & Vasis ad Civ. Dei,* omnia Bona opera Sanctus usus est Spiritus. *Si enim paterna Vestis & Annulus, ac si quid hu- cap. 13.* jusmodi, tanto charius est posteris, quanto erga parentes major extitit affectus; nullo modo ipsa spernenda sunt corpora, quæ utique multò familiarius atque conjunctius, quàm quælibet indumenta gestamus, hæc enim non ad ornamentum vel adjutorium, quod adhibetur extrinsecus, sed ad ipsam hominis naturam pertinent. Unde & antiquorum Iustorum funera officiosa pietate curata sunt, Exequia celebrata, & sepultura provisã; ipsique, dum viverent, de sepeliendis vel etiam transferendis corporibus suis mandaverunt filiis. Id ubi aliquibus ex Sacra Scripturâ exemplis probatum fecit, hæc porrò subjunxit: *Istæ autoritates non hoc admonent, quod ullus insit cadaveribus sensus, sed ad DEI providentiam, cui placent etiam talia pietatis officia, corpora quoque mortuorum pertinere significant, propter Fidem resurrectionis adstruendam. Vbi & illud salubriter discitur, quanta possit esse remuneratio pro Eleemosynis, quas viventibus & sentientibus exhibemus, si neque hoc apud Deum perit, quod ex animis hominum membris officii diligentiaque persolvitur.* Evangelicorum mentem de hæc Quæstione Sanctus Pater expressit, cujus verba pleraque hic laudata Gratia-



nus etiam Juri Canonico inseruit. Hanc si attendamus, erit manifestum, non parvam inferri Evangelicis injuriam, si Sanctorum & reliquiarum ab eis vel corporum contemptoribus accenseantur, qui inter hos ex unâ, & alterâ parte nimios earum vel eorum cultores mediâ quasi & regiâ incedentes viâ, abufum hæcenus, id est, si vero nomine rem velimus describere, ipsam Lipsano- & Scelecto-latriam & duliam, ad debitum soli Deo honorem defendendum, Scripturâ & ipsâ Antiquitate orthodoxâ, exque eâ Augustino etiam duce, ex debito reprehendunt, sequemet ab hujus culpandæ Superstitionis crimine præservârunt, ne videlicet inveniantur in eorum numero, quos suo jam tempore Augustinus dixit *Sepulchrorum adoratores*, vel etiam turpiter seduci se patiantur, per gloriosos reliquiarum jaçtatores, cujus generis Infitores suo itidem tempore non aded raros fuisse, idem Sanctus Doctor conquestus est graviter, contra *hypocritas sub Monachorum habitu usquequaque dispersos, nusquam missos, nusquam fixos, nusquam stantes, nusquam sedentes* agens, de iis testatus, quod *mentem Martyrum, si tamen Martyrum, venditent*; cautiore etiam magis magisque facti, per ea quæ eruditissimus hoc tempore Sorbonista *Launojus* post alios ingenue, ut solet, orbi Catholico suppeditavit in accuratissimo Tractatu de curâ *Ecclesiæ pro Sanctorum reliquiis*, plurima exhibens notatu dignissima, quibus non observatis facile simplicioribus per suppositionem reliquiarum spuriam imponi posse, quin Experientiâ constet, nemini ex prudentioribus non indubium est. Quid ad utrumque hoc Augustini testimonium de Sepulchrorum adoratoribus & reliquiarum, quamvis suspectarum, venditoribus respondeat Bellarminus, suo videbimus loco. Nunc ea inter ante, quàm Ejus pro cultu reliquiarum argumenta subjiciantur examini, Centuriatores *Magdeburgici* à gravi accusatione vindicandi sunt. Inter ea enim mendacia, quæ circa hujus Quæstionis tractationem Bellarminus eis impingit, hoc numero & ordine tertium recentet, quod sequentia Augustino adscripterint: *Superstitiosum & magnum multitudinis concursus ad reliquias Stephani in Africanam usque factum; dementatis populis quibusdam illusionibus, quæ pro Miraculis sint habitæ, de quibus ipse nonnet, quod sit totum illud à Centuriatoribus citatum caput legamus, non inveniri usquam Superstitionis vel illusionis nomen, sed tantam erga sacras reliquias Pietatem, ut hic Augustini locus videatur esse satis ad omnes nebulas hereticorum dissipandas.* Addit, neque solum hoc esse *Magdeburgensium* impudens mendacium, sed peccatum etiam in Spiritum Sanctum, quod testatissima Dei miracula vocent illusiones, & præterea manifestam esse insaniam, cum Augustinum, Virum Sapientissimum, quasi pueriliter ludentem faciant. Nam cum toto capite Fidem catholicam veris non carere Miraculis probare contendat, nonne prorsus insaniret, secumque ipso & cum fide pugnaret, si Miracula, quibus Fidem probari dicit, ipsemet illusiones appellaret, & populum, qui illis credit, superstitiosum & dementatum diceret. Verùm salva res est, Bellarmine! *Magdeburgici* Centuriatores non ita in luto mendacii hærent, ut tibi quidem videatur, prolixaque eos inde extrahendi opera sit necessaria. Nimirum in eâ extra dubium fuerunt opinione, in quâ *Ludovicum Vivem*, Papistam fuisse indicatum fuit supra, in Commentariis ad hoc Augustini opus scribentem, *Non esse dubium, quin multa in hoc capite sint addita velut declarandi gratiâ ab iis, qui omnia magnorum Authorum Scripta spurcis manibus suis contaminabant.* Mentitus igitur sit & *Ludovicus Vivem*, illustri Elogio ornatus à *Sixto Senensi*, ejus Ordinis Scriptore, qui ob causas non ignotas odio fatali contra eum ardet; mentitus, inquam, sit, commiserit & ille peccatum in Spiritum Sanctum, manifestè & is insanierit, dum ea in dubium vocat miracula, à que spurcis manibus Augustini opus scribit contaminatum, de quibus tamen Bellarminus existimat, quod testatissima fuerint miracula, quibus Fidem Catholicam non carere Augustinus probare contendit. Centuriatoribus autem *Magdeburgicis*, dum non improbabili stetit Sententia, multum Superstitionis pariter & illusionis hic intercessisse, nescio, an jure meritoque imputari possit tam grande mendacium, tam grave piaculum, tantâ insuper insaniam, quâ eos manifestè Bellarminus scribit insanire, existimantes nimirum, neque Augustinum aliter sensurum, si de his ad illustre opus suum adfumentis judicium ferre debuisset, longè illustrius de Miraculis per Scripturam Sacram commendatis, quàm de iis, quæ humanâ solùm autoritate nituntur, censens, id quod supra sufficienter ex hoc ipso demonstratum fuit loco. Non autem hic prætermittendum, quod à Bellarmino est prætermisum, eosdem Centuriatores *Magdeburgicos* ibidem, de hac Superstitione circa reliquias Sanctorum agentes, in proximè sequentibus ex eodem Augustini opere scripsisse, *celeberrimâ veneratione frequentatâ fuisse tunc Martyria faminarum quarundam, quæ Persecutionis*

de morib.  
 Eccles.  
 cap. 34.  
 de opere  
 Monach.  
 cap. 28.

lib. 22. de  
 Civ. Dei,  
 cap. 8.

Bibl. S.  
 lib. 4 p. m.  
 334 vid.  
 Catal. in  
 candore  
 Lillii,  
 num. 137.

lib. 1.  
 cap. 26.

tionis tempore semetipsas in flumen quoddam precipitaverint, sectatores suæ pudicitia effugiendo, de quibus ipse Sanctus Doctor dubitaverit, an rectè hoc factum sit, an secus? Non planè nullius operæ fuisset pretium, si Bellarminus suum interposuisset iudicium, indicans, quid de eorum reliquiis à superstitioso & simplici populo cultis statuendum sit, de quorum Martyrio manifestissima sunt dubitandi causæ, an verè & propriè Martyres Christi sint & dici debeant? Sed cortex fuit dentibus Bellarmini durior, malens nucleum relinquere, quàm illis aliquod inferre damnum; Evangelicis indè etiam confirmatis, plurima in reliquiarum cultu occurrere, quæ rem hanc non parùm facere queunt suspectam. Verùm, ut adhuc semel de *Magdeburgicis* Centuriatoribus mentionem in gratiam Veritatis porro inquirendæ facimus, sit ita, alienam mentem adscripserint Augustino contendenti juxta Bellarminum probare, Fidem Catholicam veris non carere Miraculis, & miracula ad memoriam Stephani Martyris facta ad eorum numerum referenti, de quibus tamen *Ludovicus Vives* nos dubios fecit; an probabitur indè, Sanctos ideò invocandos, ac corpora eorum singulari cultu veneranda esse, quem eis hodie à Papais attribui videmus? Id certè Augustinus non dixit, neque salvis hypothësis suis dicere aut scribere potuit, quidquid etiam Bellarmino videatur. De cætero sicut Augustinus corpora sanctè & in verâ Fide ex hoc Seculo decedentium debito honore privari noluit, ita nec Evangelici tam omnis Christianæ honestatis hostes sunt, ut injuriâ vel ignominia adficiendas censeant reliquias eorum, quos in Vitâ non solum DEO constanter servasse, sed post mortem quoque DEO gratos, ac ejusdem Gratiæ prioris participes esse non dubitant. Atque hinc, quidquid Bellarminus præter Scripturâ dicta, Conciliorum decreta, aliorum quoque Patrum & Ecclesiæ Doctorum testimonia, ex Augustino etiam ad probandam Lipsano. & Sceletolatriam & duliam adducit, nobis nullo planè modo adversatur. Nullâ nimirum rigidiori censurâ dignum putamus, quod Augustinus quondam ad CoEpiscopum quendam suum de honestis duabus Matronis, Matre viduâ & Filiâ virgine scripsit: *Portant secum reliquias Beatissimi & gloriosissimi Martyris Stephani, quas non ignorat Sanctitas vestra, sicut & nos fecimus, quàm convenienter honorare debeatis.* Ostendantur nobis hodiernum hujus Sancti Martyris, vel alterius Sancti cujusdam reliquiæ, sed indubitatæ & minus suspectæ, quin convenienti honore juxta Augustini monitum sumus excepturi, nemo dubitet. Cur enim id non faceremus reliquiis & corporibus Sanctorum, tot Gratiis à DEO torque Miraculis è Cælo illustratorum; cum eorum etiam corporibus debitum non denegemus, qui ut multum impares Sanctitate, nobis tamen vel Sanguinis vel Amicitia, vel ejusdem Fidei Confessionis vinculo propius & ante alios conjuncti fuerunt; ejusdem, inquam, Fidei. Quid enim de Sepulturâ & honore eorum, qui extra Ecclesiæ gremium moriuntur, in primis juxta rigorem zelotarum inter Romanenses sit statuendum, præter alios *Spondanus*, Appamiarum Gallia Narbonensis Episcopus, prolixo de *Cæmeteriis Sacris* opere ostendit.

Epist. 103.  
ad Quint.

Et ut in Augustini testimoniorum evolutione pro reliquiarum cultu pergamus, prætermisso, quod de miraculis ad reliquias Stephani factis ex opere de Civitate DEI modò observavimus, admittamus & quâ sumus facilitate præditi, verum esse credamus, quod de S. *Vincenzo* in secundo Sermone de Eo sub Augustini nomine legi commendat Bellarminus, *corpus nimirum Ejus expositum feris à corvo mirabiliter defensum, & projectum in aquas mergi non potuisse*; neque vocemus in dubium, quod alibi idem Sanctus Doctor de corporibus Gervasii & Protasii memorat, *quod videlicet incorrupta per An-* nos plures à Deo fuerint conservata, ut suo tempore propalarentur, & quæ alia huc pertinere videntur. Quin & insuper nec omnimodè improbemus antiquorum ab Augustino alicubi insinuatam & à Bellarmino ob id ipsum tanto opere commendatum morem, *Reliquias Martyrum sub Altaribus recondendi & sepeliendi*, quem tamen multum adjumenti tulisse ad infecutum postea indebitum earum cultum & honorem credere fas est; addo, id quod Bellarmino non observatum, laudatus modò *Cæmeteriorum Sacrorum* descriptor cum pluribus aliis ex Augustino advertit, & in gratiam Lectoris descripsit: *non-nullos mortuorum vel in somnis, vel alio quocunque modo adparuisse viventibus, atque ubi eorum corpora jacerent inhumata, nescientibus, locisque monstratis admonuisse, ut sibi Sepultura, quæ defuerat, præberetur*, Augustino hanc ex mente suâ censuram adscribente: *Hæc si falsa esse responderimus, contra quorundam Scripta fidelium, & contra eorum sensus, qui talia sibi accidisse confirmant, impudenter venire videbimur; & insuper addente fieri hæc, non quod ista mortui sentiant, sed Angelicis operationibus, sive permittatur desuper,*

lib. 9.  
Confess.  
cap. 7.Serm. II.  
de Sanct.lib. I.  
Part. II.  
cap. 7.  
pag. 195.de curâ  
pro mort.  
c. 10.

*sive jubeatur, idque vel ad solatium vivorum, quibus adparent mortuorum imagines, vel ut his admonitionibus generi humano sepultura commendetur humanitas.* Sint, inquam, hæc vera & que Augustino agnita & commendata, quanquam fortè non desint, quæ circa hæc & talia, præprimis circa morem reliquias Martyrum sub Altaribus recondendi & sepeliendi, possint animadverti, si hoc jam primariò ageretur; at nullas exindè licet observare pro cultu & invocatione Sanctorum vel reliquiarum ab eis consequentiarum rationes, quas dum exsculpere laboravit Bellarminus, aliâ usum se, quam quæ hæctenus communiter obtinuit, Dialecticâ & disputandi methodo ostendit, eâ nimirum, quâ aliquid non quidem secundum Dialecticorum, sed tamen secundum prudentiæ regulas sequi, de Igne Purgatorio agens supra scripsit, absurdissimus & simul imprudentissimus disputandi artifex, ea à se invicem separans, quæ quam-maximè esse debere conjuncta, imò conjunctissima.

Missis igitur hisce, quæ nihil ad rem facere videntur, ea nunc videamus, quibus objecta ex Augustino *contra Sepulchrorum adoratores & reliquiarum venditores* loca diluere conatur Bellarminus, ad priorem ita scribens: *Dico, Eum vocare Sepulchrorum adoratores quosdam, qui, ut ipse putabat, Sacrificium Panis & Vini aliarumque epularum Manibus defunctorum obferebant, & deindè iisdem cibus & Vino se ingurgitabant & inebriabant.* Sed aliqua Augustini verba addit: *Sed hæc scripsit in initio Conversionis sue. Postmodum verò reprehendit quidem illam consuetudinem, sed non tanquam Idololatriam. Nam alibi dicit, Matrem suam consuevisse ex pietate id facere, sed Mediolani ab Ambrosio Clericis fuisse prohibitam; Ambrosius enim prohibuerat istam consuetudinem, ne daretur occasio ebrietati, & quia videbatur ad finis superstitioni gentilitium, licet integro id à Christianis fieret animo. Idem etiam dicit Augustinus, meliores Christianos id non facere; eos autem, qui id faciant, non sacrificare defunctis Martyribus, sed ponere super tumulos Sanctorum epulas, ut à DEO per Martyrum merita sanctificentur.* Pergit: *Quod autem Augustinus non putaverit malum, venerari sepulchra Sanctorum, indè patet, quod alibi scripsit: Videtis Imperii nobilissimi eminentissimum culmen ad sepulchrum Petri piscatoris Diademate submisso supplicare.* Et nota, *Augustinum hæc scribere idololatriæ, ut ostendat, Idolorum cultum à Christianis destructum: Præterea Augustinus, cum reprehendit adoratores Sepulchrorum, cerè non reprehendit Chrysostomum & Hieronymum, sed turbas imperitorum. Atqui Chrysostomus dicit, Tumulos Martyrum adoremus: Et Hieronymus ad Marcellam, ut migret Bethlehemum, scribit, Sepulchra & cineres Iohannæ Baptiste, Elisei & Abdiæ merito adorari à fidelibus in Palestinâ.* Ad posteriorem Augustini locum de reliquiarum venditoribus dicit Bellarminus, *non mirum, si Augustinus dubitaverit de reliquiis, quas privati quidam homines circumtulervint; hic autem de iis agitur reliquiis, quæ in Templis publicè conserventur.* Ad singula breviter erit respondendum. Et quidem quod attinet priorem Augustini locum, is ita pleno textu habet: *Nolite consecrari turbas imperitorum, qui vel in ipsâ religione verâ sunt superstitiosi, vel in libidinibus dediti, ut obliti sint, quid promiserint Deo. Novi, multos esse Sepulchrorum & picturarum adoratores; novi, multos esse, qui luxuriosissime super mortuos bibant, & epulas cadaveribus exhibentes seipsos super sepultos sepeliant, & voracitates suas ebriitatesque deputent religioni.* Patet exindè, Bellarminum non sine insigni fraudulentiæ documento ad pervertendam Augustini mentem non ita adeòque obscuram, ea in Eius verbis in unum compingere, deque unâ re dicta velle intelligi, quæ ipse Doctor augustissimus expressè per particulam disjunctivam *vel* voluit separata, alios perstringens tanquam *superstitiosos sepulchrorum adoratores*, alios verò tanquam *luxuriosos & indè etiam libidinosos epularum ad Sepulchra Martyrum sectatores*, utrosque tanquam Christianissimi scandala omninò fugiendos. Hoc si observetur, per se cadunt ea, quæ Bellarminus partim ex libris Confessionum, partim ex scripto de Civitate Dei citavit, utpotè ad præsens Institutum impertinentia; quin & ita insuper comparata, ut potius contra Bellarminum, quam pro Eo possint inservire. Adde, etiam id, quod idem Bellarminus excipit, ad priorem quoque hujus Testimonii partem contra Sepulchrorum adoratores posset trahi, scripsisse Eum hæc in initio Conversionis sue; nihil tamen id oberit, nisi demonstretur, Eum id postmodum alibi retractasse suamque super eâ mutasse Sententiam. Illud autem de *supplicationibus Imperatorum* non amplius gentilitium, sed Christianorum ad sepulchrum Petri, cui simile quid ex Epistolâ sequente Bellarminum, sed fide sublesta laudasse paulò ante notavimus, nihil aliud significat, quam Imperatores Christianos Divino cultui vacasse ad sepulchrum Petri, non verò Petrum

vid. Dal-  
læj, de ob-  
jecto cul-  
tûs, lib. 4.  
cap. 10.  
pag. 672.  
seqq.

lib. 6 Con-  
fess. c. 2.

lib. 8, de  
Civ. Dei,  
cap. 27.

Epist. 42.  
ad Ma-  
daur.

Serm. in  
SS. Invent.  
& Max.

Petrum, sed ipsum invocasse Deum. Et quamvis Instituti ratio non patiat, *Chryso-*  
*stomi & Hieronymi* dicta vel scripta vindicare, nobis de Augustini hic autoritate so-  
 lum sollicitis; quia tamen Bellarminus utrumque Augustino juxta Evangelicorum  
 Sententiam opponere videtur, consensus Eorum breviter vindicari debet. Et quidem  
 quoad *Chryso-stomi* verba à Bellarmino laudata, ostendit è Textu Græco *Chamierus*, Panfr.  
Tom. II.  
lib. 19.  
c. 4. n. 11. ea nullum planè locum ibi habere, sed alium longè sensum exhibere. Hinc & Inter-  
 pres Latinus loco verbi *adoremus*, habet verbum *adornemus*, quamvis ne sic quidem  
 autem Doctoris mentem accuratè expresserit. Ad *Hieronymi* monitum, quod nomine  
*Paulæ & Eustochii* ad Marcellam, Nobilem Romanam scripsit, ad Bethlehemiticum  
 vocans & invitans consortium, illud observasse sufficiat, quod de adorationis ritu ex  
 alio Hieronymi loco adnotavit *Ludovicus de la Cerda*, ex *Cassiodoro* etiam, illustri Advers. S.  
cap. 177.  
num. 7. &  
cap. 168.  
n. 12. conf  
de Roa.  
Sing. S.  
Tom. I.  
lib. 4. c. 3.  
p. m. 368. suo tempore inter Romanos Scriptore, explicans, quid sit *adorare purpuram Impera-*  
*toris*; cum inde manifestum sit, ritum adorationis non semper ipsum invocationis  
 cultum post se traxisse, sed pro externo quodam honoris documento habitum fuisse,  
 cultum soli Deo debitum nihil quidquam imminuente vel immutante. De cætero  
 ut ad Augustinum in hac Quæstione adhuc semel redeam, qui metus ipsum ob reli-  
 quias Martyrum non omnino indubias tenuit ancipitem, hodiernum quosvis de veri-  
 tate rei sollicitos facere potest & debet cautiore, ne quasvis Sanctorum reliquias, etiam  
*quæ in Templis adservantur*, pro indubitatis agnoscant, cum non unius modi ratione  
 ut plurimum videantur suspectæ, fraude piâ, vel potius impiâ hic & ibi obviâ, de quâ  
 alii alibi amplissimè. Et si, quod insuper addendum, de singulis & omnibus Sancto-  
 rum reliquiis, quæ hodie ubivis, ubi simplex Superstitio & superstitiosa simplicitas ex  
 unâ, ex altera autem parte simpliciores seducendi libido cum impiis hisce fraudibus  
 obtinet regnum, non ita parè, sed magno satis numero ostentantur, liquidò con-  
 staret, esse eas verè eorum reliquias, quorum nomina communiter præ se ferunt;  
 nunquam tamen Evangelicis persuadebitur, ut illo eas venerentur cultu, quem eis  
 à Romanensibus vident exhiberi, nullò videlicet mandato ex Sacra Scripturâ instru-  
 ctis, nullo etiam exemplo ad imitationem ductis, quin & nullâ à Deo promissione ad  
 id invitatis, & quod pro Instituti ratione in specie venit notandum, Augustino nullibi  
 suâ autoritate vel testimonio hunc cultum adprobante, sed omni modo potius repro-  
 bante & damnante. Placet nunc loco coronidis subungere, quod ante hæc duo secula  
*Peraldus*, Ordinis Dominicani Scriptor & Episcopus Lugdunensis, in Virtutum &  
 Vitiorum summâ graviter monuit: *Si vestes, quæ tetigerunt Salvatorem, pro reliquiis ha-*  
*bentur; quare Verba, quæ proceperunt de ore Ejus, pro reliquiis non habentur? Nullum ver-*  
*borum istorum negligendum esset.* Quibus non multum dissimilia sub hujus Seculi initium  
*Lorinus* in suis ad priorè Petri Epistolam Prolegomenis scripsit: *Major habenda ratio*  
*sacrorum Petri Scriptorum, quam quorum tanta est habita, scilicet, vinculorum, gladii,*  
*quo abscedit Malcho auriculam, ossium, sepulchri.* Tom. I.  
Part. 5.  
mox à  
princ.

Quæ ad locum Augustini de *Sepulchrorum & Picturarum adoratoribus* ex opere de  
*Moribus Ecclesie* observavimus respondere Bellarminum; ea non placere Epitomatori  
 operum Augustini *Matthia Hauzerio*, Ordinis Francisci, patet ex altero *Anatomie* To-  
 mo, ubi ad hoc Augustini testimonium observavit sequentia: *Cardinalis Bellarminus*  
*videtur fateri*, illum ab usum vel fuisse, vel ab Augustino suæ Conversionis initio  
 fuisse tributum Idololatriæ. *Sed nec fuisse* patet, quia hujus nulla apud ullum extat  
 memoria, nec est credibile, Christianos recens conversos ab Idololatria gentilium  
 adhuc vigente tam citò potuisse ad similem declinare; *nec ab Augustino fuisse tributum*  
*Idololatriæ*, sed tantum minori alicui Superstitioni, patet ex frequenti revelatione &  
 commendatione publicæ alicujus venerationis sacrarum reliquiarum & Imaginum,  
 sub titulo etiam adorationis. *Verum non est opus ab hoc textu refugere ad alios.*  
 Nam fuisset magnæ temeritatis in Augustino, ex adoratione externâ & publicâ con-  
 demnare multos Christianos idololatriæ internæ. *Deindè*, si quid talis temeritatis  
 tunc subrepsisset Augustino, retractasset sine dubio. *Denique* hunc & plures abu-  
 sus ibidem tribuit tantum superstitioni cuidam in ipsâ religione verâ. *Itaque respon-*  
*deo*, inquit, hinc non tantum non reprobari cultum ac venerationem sacrarum  
 reliquiarum ac Imaginum, sed etiam adprobari plurimum. Hoc enim ipso,  
 quo improbat ab usum illum publicum circa Sepulchra sacra & Imagines, satis  
 adprobat, ex tunc fuisse eorum aliquem usum publicum & religiosum alicujus sal-

tem venerationis, neque hunc usum abolendum vel abolitum fuisse propter abusum illum. Deinde, hoc ipso, quo non obstante hoc abusu Augustinus sese ad Catholicam convertit Ecclesiam, eamque ab illo & aliis excusat abusibus, quos & ipsa condemnat, scribit, & corrigere studet; convincit hæreseos omnes, qui sub prætextu similium abusu sese à Catholica præscindunt Ecclesia, quæ explicatis & adprobatis variis usus piis sacrarum Reliquiarum ac Imaginum omnes earum abusus tam severe condemnavit & corrigendos decrevit, Sessione post vigesimam quintâ Synodi Tridentinæ. Porro licet esse possint varii factorum Sepulchrorum ac Imaginum abusus Idololatriæ minores, videtur tamen hic per Sepulchrorum & picturarum adoratores significari abusus quidam adorationis seu venerationis ex quadam potius admiratione & animi intentione ad materiam pretiosam & formas elegantes, quàm ad res sacras contentas aut significatas. Ita *Epitomator Anatomicus*, plura in his Augustini verbis observans, quàm Bellarminus, accuratius nimirum interiora eorum penetrare sibi vilis Anatomicorum more, quæ nulli antehac conspiciere fuit concessum, gratulatione hinc debita excipiendus merito, nisi ea etiam se vidisse existimavisset, è somno fortitân & Insomnio excitatus, quorum nulla planè vestigia iplemet agnosceret Augustinus, si redivo mentem suam explicare concederetur. Ea certè sunt argumenta, quibus partim explodit Bellarmini responsum, partim verò suum, quod ex Ingenii singularis thesuro prodit, nititur confirmare, quæ aliquod Judicii deliquium non obscure præ se ferunt, brevi Elencho perstringenda. Nam quæ est consequentia, quæso, abusum negare ideò, quia nullus præter Augustinum Scriptor ejus facit mentionem; quasi verò Augustinus non sufficeret solus? Et quàm brevis fuit memoriæ *Anatomicus*, aut quàm negligens lector responsi à Bellarmino dati, qui contra hunc abusum, & quæ eidem erant adjuncta, ad *Ambrosii* eum reprobantis auctoritatem provocavit, ut vidimus. Nec adeò mirum debet videri, Christianos recens conversos ab idololatria gentilium adhuc vigente tam citò potuisse ad similem declinare, cum quæ vis sit Superstitionis in hominum animis, & inde tanquam ex fonte provenientis Idololatriæ, si nullum aliud exemplum prosteret, sufficere posset Israelitarum ab Ægyptiorum Idololatria liberatorum quidem, sed non ita diu post lapsorum in similem, & certo respectu graviorem. Quæ præterea de *minori* habet *Superstitione*, sibi met ipsi fingit contra mentem Augustini; operæque pretium fecisset, si ex frequenti relatione & commendatione venerationis reliquiarum, *sub titulo præsertim adorationis*, quàm adscribit Augustino, unicùm modò documentum Lectori Veritatis studioso post Bellarminum exhibuisset, quod dum intermisit, in vanum se id jactâsse ostendit. Dum verò *temeritatis* accusat Augustinum, si ex adoratione externâ condemnasset Christianos *Idololatriæ internæ*, opus erit, ut ejus quoque reum faciat ipsummet Christum, quod impium cogitatu saltē, qui ab externâ Nominis sui negatione ad internam argumentatus est. Quia autem nullius hic temeritatis reus est Augustinus, nulla fuit *retractatio* necessaria. Insuper impertinentissimè ex iisdem Augustini verbis cultum reliquiarum adprobati putat, quasi improbando abusum tanquam idololatrias castigaverit Augustinus. De cætero magnum est manetque discrimen inter Ecclesiam verè Catholicam tempore Augustini, & Ecclesiam Papalem tempore reformationis, quæ etsi postmodum per Patres in Synodo Tridentinâ confertos videri voluit corrigere velle abusus idololatriæ, *Roma* tamen mansit hodieque *irreformabilis*, de quo vel nupera testantur *Monita* sub Beatæ Virginis *Mariæ* nomine ad *indiscretos cultores Ejus* scripta, Indici Romano proximè inlata. Ultimò *videtur* operâ facili per non *videtur* suo remittitur Authori, Augustino adhuc teste Veritatis Anti-Idololatriæ.

## CAPVT QVINTVM &amp; seqq.

DE

Imaginibus DEI &amp; Sanctorum, eorumque cultu.

Ampliorem nunc ingredimur campum, in quo decurrendum nobis erit itinere aliquantò prolixiori, donec missionem à Bellarmino impetremus, cujus & hic vestigia pressò pede in vindicandâ Augustini auctoritate pro Evangelicorum Sententiâ sequi placet, notatâ sub initium aliqua Bellarmini contradictione, qui dum suprâ de cultu San-

Sanctorum in genere agens, eum hoc etiam argumento confirmatum voluit, quod semper Ethnici, Iudaei, heretici accusaverint Christianos idololatriæ propter cultum sanctorum, eos non accusaturi, nisi vidissent Sanctos à Christianis passim religiose coli, citato eam in rem aliquo ex Augustini contra Faustum Manichæum libris loco; ita hic de cultu Imaginum in specie, qui præcipuam ferè & maximam cultûs Sanctorum constituit partem, agens, in recensione Iconomachorum *sanderi* sententiam rejicit, primum Manichæis locum in eorum ordine & numero tribuentis, alio ex eodem Augustini opere contra Faustum loco in hunc finem citato, in quo Faustus contra Augustinum gloriatur, à *sua Sectæ* hominibus *DEUM sine simulacris coli*, de quo tamen Bellarminus, an res ita se habeat, vehementer se dubitare scribit, hanc addens rationem: *Faustus enim Manichæus apud Augustinum non loquitur de Imaginibus sanctorum, sed solum de Imaginibus DEI; undè nec ibi reprehendit Catholicos, quod haberent Imagines, nec Augustinus reprehendit Manichæos, quod Imaginibus carerent.* Noltrum cum non sit Bellarmini contradictionibus nos vel implicare, vel Eum ab iis explicare, hæc Lectori ad observationem debitam commendatâ, rem ipsam accedimus, in antecessum verò notantes, nobis negotium hic non fore cum illis Quæstionibus controversis, quas Bellarminus in specie contra Judæos recentiores, Scriptores Papæos, *Catharinum & Cajetanum*, & Doctores Reformatos prolixè satis tractavit, nisi insertis animadversionibus brevissimis Augustini auctoritatem respicientibus, quarum una ad divisionem primi in Decalogo Præcepti pertinet, contra quam sicut Bellarminus non malè ad Augustinum provocat, Præceptum de sculptilibus non faciendis pro parte vel adpendice primi, non pro singulari præcepto habentem, ita vindicare omninò debuit constantem augustissimi Doctores hac in parte Sententiam, ad eum respondens locum, qui è quodam contra Pelagianos Scripto adduci & auctoritate ejus urgeri solet, Sanctum Patrem in Scriptis posterioribus suam mutasse Sententiam, hocque de Sculptilibus præceptum pro distincto & singulari præcepto habuisse, de quo quid statuendum, nuper modò & paulò ante obitum contra *Roverum & Vossium*, celeberrimos Reformatorum Doctores, offendit *B. Dannhauerus*, Præceptor desideratissimus. Contra opinionem *Catharini*, statuentis, DEUM prohibuisse Imagines simpliciter in Decalogo, sed illud præceptum fuisse positivum & temporale, urget quidem Bellarminus inter alia auctoritatem Augustini, adfirmantis, totum exceptâ lege de Sabbatho Decalogum à Christianis servandum; sed si loca à Bellarmino citata evolvamus, hanc legis de Sabbatho exceptionem observare non licet. Hinc præter alios Scriptores Papæos non solum *Menochius* in specie de hæc Lege Sabbathicâ agnovit, eam in tantum esse *moralem seu naturalem*, in quantum præcipitur, ut homo subinde tempus aliquod Cultui Divino deputer; sed & non ita pridem *Hugo de Roy*, Scriptor quidem Politicus, at, quod ex pluribus ostendi potest documentis, Papæus, in genere de Decalogo pronuntiavit, quidquid in eo continetur & vulgò dicitur *morale, necessario esse de iure naturali-rationali*; quoniam nihil in eo contineatur, quod non necessarium sit *rationali creaturæ ad suum finem consequendum*; quapropter ad omnes gentes & per omnia Secula pertinere, quum non singularem horum illorumve hominum conditionem, sed naturam ipsam humanam concernat, ejusque finem tam proximum, quam remotum, nec tantum primario Bonum internum, verum etiam externum in necessariam consequentiam; statuens porrò, hanc extitisse causam, ob quam ab omnibus hominibus, Ethnicis etiam & gentilibus intelligentioribus quoad substantiam non ad probationem solum, sed & venerationem extorserit, dum viderent eam à rectâ ratione & ratiocinatione humanâ solidè confirmari; quæ aliorum censuris exposita relinquo, id tantum observans, quæ hic de Lege Decalogicâ in genere notantur, Authorem sine dubio de Lege Sabbathicâ etiam in specie intellectum voluisse, ad mentem Augustini, cui tamen aliam Bellarminus adscripsit.

Nunc videndum, quid respondeat ad ea augusti Doctores testimonia, quæ à Calvino contra Imagines laudari scribit, non ut Calvini partes suscipiam defendendas, sed ut responsum Bellarminiarum adpareat insufficientia. Tria autem sunt loca, quibus Calvinum uti ex Augustino testatur. Primus est, ubi Sanctus Pater dicit, *nefas esse Deo simulacra collocare*. Secundus Varronem refert, dicens, *eos, qui Deorum simulacra induxerunt primi, & timorem demisisse, & errorem auxisse*. Tertius sinit querimoniam Senecæ, dolentis, *inviolabiles Deos in materiâ vilissimâ ac ignobili Deificari*. Ad singula quædam habet Bellarminus, quæ excipiat. Et ad primum quidem locum dicit, *Sanctum Patrem loqui de Imagine DEI primi generis*

vel modi, de quo in antecedentibus scripsit, quod possit aliquid pingi ad exprimendam formam alicujus & naturæ rei ipsius similitudinem perfectam, quo res solum corporeæ pinguntur, quæ lineamentis & coloribus sunt præditæ, quæ ratione si quis DEUM pingere tentaret, verum is constitueret Idolum. Ad secundum, Varronem rectè dicere apud Augustinum, eos, qui simulacra Deorum induxerunt, metum demississe & errorem auxisse. Addit, nam propterea crediderunt quidam, ipsa simulacra esse Deos, & videntes ea nec aliis, nec sibi prodesse vel obesse, cœperunt Deos contemnere. At si non Deos simulacra, sed imagines Deorum esse credidissent, & imagines non proprias, sed analogicas, nec metum amississent, nec errorem invenissent, quemadmodum non minuitur metus Principum, nec error ullus oritur per imagines eorumdem, quas videmus quotidie. Ad tertium, Senecam apud eundem Augustinum conqueri, Simulacra Diis poni propter eundem errorem, quo putabantur ipsa simulacra esse Diis, vel ceri Diis simulacris illis similes judicabantur. Nihil, inquam, in Calvini gratiam hic notabo, sed ostendam modò, Bellarminum de Augustini mente non ritè Sententiam dixisse. Et ut de primo primùm aliquid dicam testimonio, ex contextu patet, agere Sanctum Patrem in Explicatione articuli de Sessione Christi ad dextram Patris, ut ille loquendi modus non sinistrè accipiatur, nec aliquis conceptus Dei Majestatem dedecens in animo hominis oriatur, contra sacrilegos gentiles, quos Apostolus idè execratus legitur, quia gloriam incorruptibilis Dei commutaverunt in similitudinem hominis corruptibilis; addito hoc gravi monito: Tale simulacrum Deo nefas est Christiano in Templo collocare, multò magis in corde nefarium est, ubi verè est Templum Dei, si à terrenâ cupiditate atque errore mundetur. Non tam igitur augustus Doctor intellecta hæc voluit de Imagiæ externâ, quæ res corporeæ pinguntur, quàm & primariò quidem de falso animi conceptu, quæ Mytheria Fidei in Sacris per loquendi modum nobis cognitum descripta, humano etiam more intelliguntur, hæcque ratione & modo summa Dei verè incomparabilis Majestas læditur, per idololatriam omninò intolerabilem & inexcusabilem. De secundo itidem rectius sentire licebit, ubi ipsum ex Varrone Augustinum, vel potius ex Augustino Varronem audiemus, de quo hæc habet: Dicit Author acutissimus atque doctissimus, antiquos Romanos plusquam annos centum & septuaginta Deos sine simulacro coluisse. Quod si adhuc mansisset, inquit, castius Diis observarentur. Cujus Sententiæ suæ testem adhibet etiam inter cetera gentem Judæam, nec dubitat eum locum ita concludere, ut dicat, qui primi simulacra Deorum populis posuerunt, eos civitatibus suis & metum demississe, & errorem addidisse, prudenter existimans, Deos facile in simulacrorum soliditate contemni posse. Quapropter cum castius existimat sine simulacris observari Religionem, quis non videat, quantum propinquaverit Veritati? Si enim aliquid contra vetustatem tanti posset erroris, profectò sine simulacro colendum esse DEUM censeret. Ad quæ augustissimi Doctoris verba satis clara Bellarmini responsum non quadrare, ante Bellarminum vidit rigidissimus aliàs traditionum Papisticarum defensor Peresius, Sancti Patris mentem sequentibus exprimens verbis: Non ignorabat Augustinus, paucos aut nullos esse inter gentes, qui materias Idolorum sic sculptas Deum aut Deos esse putarent; sed ob id videtur eos damnare, quod simulacris honores Divinos tribuerint, eâ ratione, quæ DEUM representabant. Et post aliqua: Quod hæc sit intentio Augustini, ex his, quæ in Psalmum centesimum decimum tertium, illum exponens locum, simulacra gentium sunt argentum & aurum, patet, ubi tam eos, qui simulacra putabant Deos, quàm eos, qui in simulacris aliquod Numen Divinum latere putabant, & omnes etiam, qui per effigiem corporalem adorabant DEUM, damnare videtur. Alia quæ ex hujus Psalmi Enarratione Augustinianâ ibidem ad hoc Propositum inservientia adducit Peresius, hic non adscribo, utrobique amplius legenda, dum alia adhuc supersunt Augustini loca, quæ de Ejus mente contra Bellarmini exceptionem testari possunt. Hinc notanter alibi de differentiâ Christianorum & gentilium circa cultum Dei vel Deorum scribit: Nobis unus diligendus & colendus DEUS præcipitur, qui fecit hæc omnia, quorum illi simulacra venerantur vel tanquam Deos, vel tanquam signa & imagines Deorum. Celebris est etiam locus, qui in eodem opere de Civitate DEI extat, contra variòs Idololatriæ gentilium modos quam-maximè inserviens: Si Templo, si Sacerdote, si Sacrificio, quod vero debetur Deo, colitur aliquod Elementum mundi vel creatus aliquis spiritus, etiamsi non immundus aut malus non idè est malum, quia illa sunt mala, quibus colitur, sed quia illa sunt alia, quibus solus ille sit colendus, cui talis cultus servitusq. debetur. Si autem soliditate vel manifestate SIMULACRORUM unum verum DEUM, id est, omnis animæ corporisq. creatorem colere se quisque contendat, non idè peccat, quia non est colendus, quem colit, sed quia colendum, non

de Tradit.  
Eccles.  
part. III.  
pag. m.  
120.

lib. III.  
de Doctr.  
Christ.  
cap. 7.  
lib. 7.  
cap. 27.

ut colendus est, colit. Exinde satis manifestum est, neque Varronis, neque Augustini mentem circa simulacrorum cultum cepisse Bellarminum, ac insufficienti Glossâ eam magis pervertisse quàm explicasse, id quod de tertio etiam testimonio Augustini vel Senecæ potius verum est & dici potest, imò debet, si intentio scribentis ritè attendatur.

Seqvuntur nunc alia duo loca ex Augustino, ad quæ Calvinum contra Iconothesium in Templis provocare scribit Bellarminus, breviter vindicanda, non iterùm eâ de causâ, ac si communem hic cum Reformatis causam agerent Evangelici, sed quia non planè nihil contra ipsam Iconolatricam vel doliâ possunt suppeditare. Prior autem ita habet: *Qui Christianas utriusque Testamenti literas sciunt, non hoc culpant in sacrilegis Paganorum ritibus, quod construant Tempia, & instituant Sacerdotia, & faciant Sacrificia; sed quod hæc Idolis & Dæmonis exhibeant.* Et idola quidem omni sensu carere quis dubitat? Veruntamen cum his locantur sedibus honorabili sublimitate, ut à precantibus atque immolantibus attendantur; ipsâ similitudine animatorum membrorum atque sensuum, quamvis insensata & exanimâ, infirmos adficiunt animos, ut vivere ac spirare videantur, accedente præsertim multitudinis veneratione, quâ tantus eis cultus Dei impenditur, quibus morbidis & pestilentiosis adfectibus Divina medetur scriptura, quæ rem notam quidem, sed tamen salubri admonitionis remedio inculcat, dicens, oculos habent, & non vident &c.

Hæc enim verba quò magis aperta & populariter vera sunt, eò magis incutiunt salubrem eis pudorem, qui cum talibus simulacris Divinum cum timore cultum exhibent, eaque viventibus similia venerantes adorantesque contuentur, eisque velut presentibus preces adlegant, victimas immolant, vota persolvunt; sic adficiuntur omnino, ut ea sensu carentia putare non audeant. Posterior cum aliquibus iterùm antecedentibus melioris intellectûs gratiâ hunc in modum: *Quis puer interrogatus non hoc certum esse respondeat, quod simulacra gentium os habent, & non loquentur, oculos habent, & non vident, & cetera, quæ Divinus Sermo contexit? Cur ergo tantopere Spiritus Sanctus curat plurimis Scripturarum locis hæc insinuare atque inculcare velut insipientibus, quasi non omnibus apertissima sint atque notissima; nisi quia per speciem membrorum, quam naturaliter in animantibus viventem videre, atque in nobismet ipsis sentire consuevimus, (quamquam, ut illi adserunt, in signo aliquo fabricato, atque eminenti collocato suggestu:) cum adorari atque honorari à multitudine ceperit, parit in unoquoque sordidissimum erroris adfectum, ut quoniam in illo figmento non invenit vitalem motum, credat Numen occultum; effigiem tamen viventi corpori similem, seductus formâ & commotus autoritate sapientium quasi Institorum, obsequentiumque turbarum, sine aliquo habitatore vivo esse non putat.* Et post aliqua: *Hoc facit & quodammodo extorquet illa membrorum figura, ut animus vivens in sensibus corporis magis arbitretur sentire corpus, quod suo corpori videt simillimum, quam Solem rotundum, undasque diffusas, & quidquid non eisdem lineamentis conspicit formatum, quibus illa sunt formata, quæ viventia videre consuevit.* Et iterùm: *Plus valent simulacra ad curvandam infelicem animam, quod os habent, oculos habent, nares habent, aures habent, manus habent, pedes habent; quam ad corrigendam, quod non loquentur, non videbunt, non audient, non odorabunt, non contrectabunt, non ambulabunt.* Cætera non addo, quæ ibi amplius in hanc rem leguntur. Videamus nunc, quid Bellarmino de his Augustini pronuntiatis videatur, ne Imaginibus Sanctorum in Templis hodiè possint opponi. Ita autem respondet, ut ad utrumque simul respondisse voluerit videri. Dicit, Augustinum loqui de simulacris præsupposito errore gentilium, & voluisse eum dicere, quando quis putet simulacrum esse Deum, & accedat, ut ador et invocet ipsum simulacrum, mirabiliter eum confirmari & forveri in errore, ab ipsâ membrorum humanorum similitudine; Experientiam enim docere, imagines, quæ non habeantur pro Diis, neminem licet rudissimum ita decipere, ut putentur videre & spirare. Præterea, Augustinum voluisse ostendere, simulacra gentilium continere homines in errore, non ratione materiæ, quia sint pretiosa, sed ratione figuræ, quia habeant figuram nostrâ similem. Dicere igitur Augustinum, formam simulacrorum humanam multum valere ad fovendum in iis errorem, qui simulacra pro Diis colant. Sed quis non videt, anti-

quam obtinere Bellarminum, & quam sibi lemèl finxit hypothesein, ei firmiter inhære, etsi non usque adeò constanti nitatur fundamento. Ad præcedentia jam Sancti Patris testimonia, ne quidquam contra Imaginum cultû valere videantur, excipientem ipsum vidimus, Augustinum Doctorem contra eum gentilium errorem egisse, quo ipsa simulacra esse Deos crediderint. Et tamen ex laudato traditionû defensore Peresio, ut potè eujus in hæc Quæstione mentionè fecit, necirre non potuit vel debuit, quod paulò ante Eû observasse

Epist. 49.  
ad DEO  
gratias,  
Quæst. 3.

in Psal. 113.  
Conc. II.

conf.  
Picher,  
Opusc.  
pag. 231.  
& seqq.



vallè vidimus, non ignorasse Augustinum paucos vel planè nullos fuisse inter gentiles, qui materias Idolorum sculptas DEUM aut DEOS esse putarent. Nihilominus hanc recoquit non sine fastidio crambem Bellarminus, dum aliud nimirum, quod ad tam manifestam Augustini contra ipsum Idolorum cultum testimonia reponeret, in promptu non habuit, omni alio destitutus præsidio. Quod enim porrò ad confirmationem addit, *Experientiam docere, Imagines, quæ non habeantur pro Diis, neminem licet rudissimum in decipere, ut putentur videre & spirare;* nescio, annon Experientiæ contrarium sit, præprimis si ea attendantur miracula, quibus non semel Imagines flevisse & verba fecisse, laudatis etiam superindè testibus memoratur, quamvis prudentioribus non nisi suspèctissima. Accedit porrò notandum, id, quod Augustinus in priori præsertim testimonio contra ipsam in Templis Iconothesium monuit, eum videlicet eam fieri in finem, ut a precantibus atque immolantibus Imagines attendantur; urgeri hodiernum posse contra omnes eos, qui Imagines non aliis de causis vel in Templis vel in domibus suis, vel aliis etiam in locis publicè quorumvis ad spectui exponunt, quam ut aliqua veneratio & cultus iis accedat, utinam non impertinens & alienus.

Sed nec ea prætermitti debent Augustini testimonia, quibus contra Calvinum ac sequaces Eius hanc in Templis Iconothesium probare conatur; hæc iterum præmissâ monitione & præmunitione, non ideo id fieri, ac si ipsa in Templis & Locis sacris Iconothesium Evangelicorum doctrinæ adversetur, Praxi contrarium ob oculos ponente; sed tantum, ut insufficientia demonstrationis Bellarminianæ hic quoque Lectori candido & Veritatis orthodoxæ studio pateat. Duo autem & hic sunt loca, de quibus breviter.

lib. 1. de  
Conf. Ev.  
ang. c. 10.  
lib. 22.  
contra  
Fauft.  
cap. 33.

De priori dicit Bellarminus, testari in eo Augustinum, suo tempore multis in locis cerni potuisse CHRISTVM depictum inter Apostolos Petrum & Paulum. De posteriori, Eundem idem testari de historia Abrahami filium mactare volentis. Neuter accuratè inspectus id probat, quod vi adlegationis probare debebat. Ibi quidem agit Sanctus Pater contra eos, qui CHRISTO libros quosdam ad Petrum & Paulum tanquam Epistolari titulo prænotatos adscripserunt. Causam, quæ Ei videbatur non adeò improbabilis, ob quam hæc duobus Apostolis suos dedicasse libros credebatur, sequentibus exponit verbis: *Cum vellet tale aliquid fingere Christum ad suos scripsisse Discipulos, cogitaverunt, ad quos potissimum scribere voluisse facile crederetur, tanquam ad illos, qui Ei familiarius adhesissent, quibus illud quasi secretum dignè committeretur, & occurrit eis Petrus & Paulus; credo, quod pluribus locis simul eos cum illo pictos viderunt, quia Petri & Pauli merita etiam propter eundem Passionis diem celebrius & solemniter Roma commendat.* Videri possent hæc aliquid pro Imaginibus Sanctorum suppeditare argumentum. Verum præter id, quod Augustinus Doctor has Sancti Sanctorum CHRISTI & Apostolorum Petri & Pauli Imagines in multis tum locis exstantes, non præcise & expressè in Templis & locis Divino cultui consecratis loeat vel collocat, aut ibi collocata esse ab aliis testatur; hoc præsertim notatu dignissimum est, quod contra horum Pseudographorum Iconothesium in proximè sequentibus graviter monuit: *sic omninò errare meruerunt, qui Christum & Apostolos Eius non in Sanctis codicibus, sed in pictis parietibus quaesierunt; nec mirum, si a pingentibus fingentes decepti sunt.* Hæc posteriora, si Bellarminus attendisset, quod omninò debuit, dum Iconothesium in Templis ex Augustino probare volens ad hoc testimonium tutò provocari se posse existimavit; omninò prætermittenda esse judicare debuisset, nisi forsitan credidit, incautum Lectorem ad ea vix perventurum, neque fraudem hanc impiam ita facile animadverturum, id quod antehac etiam Antagonistæ meo, Christophoro Ottom, Lojolinæ tum

Part. 1.  
pag. 61. &  
sequ.

in Patriâ inter suos famigeratissimo, hoc Augustini testimonio nimium quantum contra me ex Bellarmino juxta morem receptum superbienti, ad oculum demonstravi, nec quidquam hætenus responsi ab insolentissimo & verè thronico provocatore impetravi, nihil etiam fortasè ab Eo ad triste silentium adacto & damnato accepturus. Sed & neque posterior Augustini locus quidquam Bellarmini causam potest juvare. Testatur in eo Sanctus Pater, historiam Abrahami filium mactare volentis multis in locis suo tempore pictam fuisse. Quid indè? Si dixisset Augustinus, in locis Sacris, esset ad rem aliquid, quam contra Calvinum suscepit defendendam. Sit autem ita, intelligi debeant hæc verba de locis Sacris, non tamen cultus Imaginum Sacrarum, qui eis apud Papistas exhibetur, indè poterit demonstrari, cujus nulla plane, nec minima ab Augustino ibi facta legitur mentio.

Præ.

*Premissis* nunc hisce velitationibus ipsam adgredimur de Imaginum cultu Controuersiam, examinaturi partim testimonia, quibus thesin suam probare intendit Bellarminus, partim quoque vindicaturi ea, quibus Iconolatria vel dulia omninò potest everti. Ad illa Bellarminus inter plura ex aliis Patribus refert, quando Augustinus loquens de sacris signis, quales, inquit, (*rectius, qualia*) sunt Imagines, Literæ & Sacramenta, scribit: *Quia hæc hominibus nota sunt, quia per homines fiunt, honorem tanquam religiosa possunt habere, stuporem tanquam mira non possunt* &c. ubi, inquit Bellarminus, nominatim inter ea, quæ religiosum merentur honorem, ponit æneum serpentem. Idem Augustinus alibi dicit, *eos seruire sub signis, qui signa honorant utilia, nec sciunt, quid significent, quales erant olim Indæi. Qui autem venerantur utilia, & sciunt, quid significant, dicit, eos non tam ipsum honorare signum, quam rem significatam, & ideo esse liberos.* Quod autem Imagines Sanctorum signa sint utilia Divinitus instituta, & proindè digna veneratione tam à servis, quam à liberis, patet aliundè, ubi dicit Augustinus, *prætur. as* & statuas pertinere ad *superflua hominum instituta, illis exceptis, quæ ob finem bonum suo tempore & loco ab eo, qui auctoritatem habet, proponuntur; & tales esse Christi & Sanctorum Imagines, est certissimum, scribit Bellarminus, hæc cum ulteriori additione: Idem denique Augustinus reprehendit pictores & similes Artifices, quod necessarium usum & moderatum, & piam significationem longè aliquando transgrediantur; ubi admittit, prætur. as* quasdam esse necessarias, habentes piam significationem, & proindè venerabiles. Hæc omnia Bellarminus quasi ex Augustino & ad mentem Augustini, quæ tamen non solum ita crudè & nudè proposita vix aliquid scopo Bellarmini interviunt, sed & insuper accuratius inspecta nihil omninò præstare possunt auxilii, imò potius multùm cultui Imaginum Papistico incommo-  
*Primum* quidem testimonium verboreus exhibuit Bellarminus, quod tamen nihil minus, quam Imaginum defendit cultum. Tractavit ibi Augustinus quæstionem, ut Editores Parisini opeum Ejus mentem in margine expresserunt, *Quot modis creatura adsumatur ad significandum?* Enumeravit varietatem signorum, quibus populo suo singularem DEUS diversis temporibus præstitit gratiam. Inter plura hæc etiam recenset nominatim: *Aliquando ad hoc fit eadem species, vel aliquantulum mansura, sicut potuit serpens ille æneus in Eremo excitatus, sicut possunt & literæ; vel peracto Ministerio transitura, sicut panis ad hoc factus in accipiendo Sacramento consumitur.* De his omnibus & singulis antecedentibus, quæ ob prolixitatem non adscribuntur, ita pronuntiat Augustinus: *Sed quia hæc hominibus nota sunt, quia per homines fiunt, honorem tanquam religiosa possunt habere, stuporem tanquam mira non possunt.* Addit pro ulteriori Sententiæ suæ intellectu: *Itaque illa, quæ per Angelos fiunt, quò difficiliora & ignotiora, èo mirabiliora sunt nobis; illis autem tanquam suæ actiones notæ atque faciles.* Facilius autem ex pumice aquam, quam ex his Augustini verbis Imaginum expresseris cultum; & desperatissimæ omninò causæ est indicium, ad talia delabi, quæ non magis rem, ad cujus demonstrationem producantur, comprobant, quam si à serpentis ænei, tanquam salubris signi erectione Divinitus mandatà ad ipsam Ophiolatriam, non planè nullis Gentilibus usitatam, velis argumentari. Accedit, longè aliam fuisse illius ænei Serpentis à Mose erecti rationem, quam Imaginum & Statuarum, quæ hodiè numero ferè innumero hic & ibi ad singularem cultum eriguntur. Ille habuit expressum à DEO mandatam, de his nullum omninò potest ostendi. Ille non ad cultum aliquem religiosum, sicut hæc apud Papistas, sed ad salutarem adspèctam, cumque simul typicum fuit à Mose erectus, Augustino ad indicem CHRISTI digitem ita suam de eo mentem alibi explicante: *Quomodo qui intuebantur (non adorabant vel religiosè colebant) illum serpentem, non peribant morsibus serpentum; sic qui intuentur Fide mortem CHRISTI, sanantur à morsibus peccatorum. Sed illi sanabantur à morte ad vitam temporalem, hic autem ait, ut habeant vitam æternam. Hoc enim interest inter figuratam imaginem & rem ipsam. Figura præstabat vitam temporalem; res ipsa, cujus erat figura, vitam præstat æternam.* Et quia ab hujus ænei serpentis erectione, quam cæteris Divinæ Gratiæ Signis adnumerat Augustinus, ad cultum Imaginum argumentatur Bellarminus, ideo non operæ nullius erit pretium observare, quæ Sanctius ad hujus ænei serpentis destructionem ab Ezechiâ Regum optimo & zelosissimo factam non malè notavit: *Cum filii Israel accepisse se ab æneo*

lib. III.  
de Trin.  
cap. 20.lib. III. de  
Doctr.  
Christ.  
cap. 9.Ibid.  
lib. II.  
cap. 25.lib. 10.  
conf.  
cap. 34.Tract. 12.  
in Joh.

II. Reg. 18

Ser-

Serpente admirabilem Medicinam & singulare Beneficium meminissent, primum in honore habuerunt maximo, acceperuntque servaruntque, diu non quasi in eo aliquid existimarent esse Divini, sed tanquam Beneficii cuiusdam eximii illustre monumentum. Sensim tamen, ut erat populus ille levissimus & ad omnem Religionem pronus ac lubricus, sicut alia Gentilium simulacra ex ære & marmore, sic etiam hoc conflatum ex ære Simulacrum tanquam aliquid Divinum amplius est, illig, honores impendit Divinos. Quod scandalum ut ex sua gente penitus aboleret Ezechias, confringi iussit atque comminui, ita ut nullum prioris forme adpareret vestigium. Et ne quid in illius Simulacri nomine quidquam sonaret Sacrum aut antiquum, quod superiorem memoriam ad nefarium & sacrilegum renovaret, cultum, nomen mutavit antiquum. Hominem diè ab Iconolatris non tanta conceditur Regibus & Principibus potestas, ut ea tollant scandala, quæ ab Imaginum cultu in animis simplicium oriuntur; & in censu Iconomachorum haberetur is, qui id circa abolendas Imagines ab hominibus & instinctu humano factas tentaret, quod Ezechias circa æneum serpentem ausus est, quem Divinitus antehac, id est, Jussu Divino erectum non nescivit, & fortè etiam typum Mediæ incarnationi fuisse credidit.

vid. D.  
Dannh.  
Colleg.  
Decal.  
pag. 146.  
Edit.  
post.

Ad secundum nunc ut transeamus Augustini testimonium, quo Bellarminus pro Imaginum cultu utitur vel potius abutitur, notandum, agere illud juxta marginale Editorum Parisiensium lemma de Signis Israelitarum & Christianorum, & quidem, prout contextus ostendit, Sacramentalibus, eorumque apud hos & illos varietate & diversitate. Ut mens augusti Doctoris ritè percipiatur, mentemque Eius pervertendi studium in Bellarmino hic etiam notetur, juvat verba huc pertinentia adscribere: sub signo servit, qui operatur aut veneratur rem aliquam significantem, nesciens, quid significet. Qui verò aut operatur aut veneratur ut ile Signum Divinitus institutum, cuius vim significationemque intelligit, non hoc veneratur, quod videtur & transit, sed illud potius, quod talia cuncta sunt referenda. Talis autem homo spiritualis & liber est etiam tempore servitutis, quo carnalibus animis nondum oportet illa revelari (aliàs, relevari) signa, quorum iugo sunt edomandi. Tales autem spirituales erant Patriarche & Prophetæ, omnesque, in populo Israel, per quos nobis Spiritus Sanctus ipsa scripturarum & auxilia & solatia ministravit. Hoc autem tempore, postquam Resurrectione Domini nostri Iesu Christi manifestissimum nostræ libertatis illuxit indicium, nec eorum quidem signorum, quæ jam intelligimus, gravi operatione sumus onerati, sed quedam pauca pro multis, eademque factu facillima, & intellectu augustissima, & observatione castissima, ipse Dominus & Apostolica tradidit Disciplina, sicuti est Baptismi Sacramentum, & celebratio Corporis & Sanguinis Domini, quæ unusquisque, cum percipit, quod referantur, imbutus agnoscit, ut ea non servitute carnali, sed spirituali potius libertate veneretur. Sequentia non addo, cum hæc absurditatem argumentationis Bellarminianæ, à Signis ceremonialibus & Sacramentalibus Divinitus institutis, ad cultum Imaginum ab hominibus propositarum, eumque religiosum, satis manifestam exhibeant, ut nullo ulterius responso sit opus. Quid enim, quæso, Imaginibus Sanctorum, quas Iconolatræ Pæpæ suis in publico ad singularem cultum ob oculos ponunt Dei mandato destituti, cum signis ceremonialibus & Sacramentalibus Novi & Veteris Testamenti ab ipsomet Deo institutis est negotii, ut ab horum observatione Divinitus mandatâ, & quæ sine gravi Institutoris læsione & contemptu intermiti non potest, ad illarum cultum nullibi mandatum, sed potius & quidem severè prohibitum aliqua fiat consequentia? Tam procul hæc a se invicem sunt distita, tamque inter se diversa, ut nullo planè modo ab uno ad alterum ritè concludatur.

Par & eadem ferè est ratio tertii ex Augustino pro cultu Imaginum testimonii, si ipsa iterum verba loco per Bellarminum citato probe attendamus. Agit ibi S. Pater secundum Lemma margini & hic adscriptum de Institutis humanis, de quibus sequentem in modum scribit: Quia multis modis simile aliquid alicui esse potest, non constant signa inter homines, nisi consensus accedat. In picturis verò & statuis, ceterisque, huiusmodi simulacris operibus, peritorum maxime Artificum, nemo errat, cum similia viderit, ut agnoscat, quibus similibus similia. Et hoc totum genus inter superflua hominum Instituta numerandum est, nisi cum interest quid eorum, quæ de causâ, & ubi, & quando, & cuius auctoritate fiat. Nulla denique fictarum falsitatum & fabularum, quarum mendaciis homines delectantur, humana sunt Instituta, & nulla magis hominum propria, quæ à seipsis habent, existimanda, quam quæ sunt mendacia. Commoda verò & necessaria hominum cum hominibus instituta sunt, quæcumque in habitu & cultu corporis ad sexus vel honores discernendos differentia placuit, & communerabilia significationum genera, sine quibus humana societas aut non omnino, aut minus com-

modè *gegitur*, quæque in ponderibus & mensuris atque numerorum impressionibus vel estimationibus sua cuique civitati & populo sunt propria, & cætera huiusmodi, quæ nisi hominum instituta essent, non per diversos populos essent varia, nec in ipsis singulis populis pro suorum Principum arbitrio mutarentur. Sed hæc tota pars Institutorum humanorum, quæ ad usum Vitæ necessarium proficiunt, nequaquam est fugienda Christiano, imò etiam, quantum satis est, inveniunda, memoriaque retinenda. Conferantur jam hæc Augustini verba cum citatione Bellarminianâ, omni ex parte sublestinâ, & Sole meridiano clarius erit, nihil quidem hic Augustino in mentem de cultu Imaginum venisse, de Institutis solum in genere humanis eorumque diversitatibus agenti; ut adeo Bellarminus Lectorem pessimè informârit, imò turpiter tesserit, dum ei voluit persuasum ex Augustini autoritate, Imagines Sanctorum signa esse utilia Divinitus instituta, & proinde digna veneratione & cultu, eò nimirum, quo communiter hodiè in Papatu à plerisque adficiuntur.

Sed & neque candidius egit Bellarminus in quarti ex Augustino testimonii pro cultu Imaginum commendatione, observans, Augustinum admittere, picturas quasdam esse necessarias, habentes videlicet piam significationem, & proinde venerabiles, cujus rei tamen ne verbulo Augustinum facere mentionem, ipsa iterum nos docebunt verba. Postquam enim Sanctus Doctor ibi juxta præscriptum in margine Lemma de illecebris oculorum, sicut in antecedentibus de voluptate aurium, tentationibus gula, & similibus egisset, ex Instituti ratione hæc porro addidit: *Quam innumerabilia variis artibus & opificiis in vestibus, calceamentis, vasibus, & huiusmodi fabricationibus, picturis etiam diversisque figmentis, atque his usum necessarium & moderatum, & piam significationem longè transgredientibus, addiderunt homines ad illecebras oculorum, foras sequentes, quod faciunt, intus relinquentes, à quo facti sunt, & exterminantes, quod facti sunt.* Satis apertè nimirum in hisce verbis Augustus Pater picturas Imaginum (non præcisè sacrarum, sit tamen & illud) retulit inter innumerabilia hominum additamenta, de quibus scripsit, quod usum in communi videlicet vitæ necessarium & moderatum, piamque significationem longè transgrediantur, adque eas oculorum pertineant illecebras, quæ à Deo Ejusque cultu verò abducunt, bonamque homini mentem auferunt. Et tamen, quæ mentis Bellarminianæ stupor est & perversitas, ex his verbis talem Augustino mentem adfin gere ausus est, quasi Is aliquam picturarum necessitatem, earumque cultum & venerationem admiserit, quam necessitatem non tam Augustinus non agnovit, ut potius eam omnibus repudiaverit modis, si modò legitimum Sententiæ intellectum, qui ex ipsis Ejus verbis, absque impertinentis Glossæ mixturâ fluit, attendamus & admittamus. Et hæcenus quidem ea vidimus & examinavimus Augustini testimonia, quibus pro Imaginum cultu Bellarminus militavit.

Alia nunc restant vindicanda, quæ contra hunc cultum militant, & quibus cum Augustino non placuisse probari potest. Eminent inter ea, cujus aliquam partem ad antecedentem Controversiam vindicavimus, quo contra picturarum adoratores scripsit Augustinus, quem triplici responso Evangelicis studet eripere Bellarminus, ne quid cultui Imaginum nocere videatur. *Primo* dicit, fortè Augustinum loqui de Idolis gentium. *Secundo*, loqui eum fortè de quibusdam qui Imagines Sanctorum superstitione colebant, ita ut accederent ad Idololatriam; testari enim Damascenum in fine libri de hæresibus, aliquos fuisse Christianos, qui Imagines quasi Deos adorarent. *Tertio*, Augustinum scripsisse eum librum in primordiis iuxta ad Fidem Catholicam Conversionis, & ideò, quibusdam tribus offensum, putasse eos sapere Idololatriam, quos tamen melius postea instructus omninò ab Idololatriâ excusaverit; dicere enim eodem in loco, eos, qui ponebant epulas super tumulos mortuorum, solitos offerre cadaveribus epulas, & inde eos vocare Sepulchrorum adoratores, & tamen alibi dicere, eos, qui id faciunt, non offerre mortuis epulas, sed cibos solum ponere super tumulos Martyrum, sperantes, eos à Deo sanctificari per Martyrum preces. Atqui testantur hæc de dubio & anticipiti animo Bellarmini, qui dum, ubi pedem figat, non invenit, ad fortuitam & hic delapsus est Theologiam, cujus plura antehac è Bellarmini Tomis exempla congestit diligentissimus Scriptorum Papi sticorum Lector Ebingerus, magnam suo hocce studio Ecclesiæ conferens utilitatem, Possimus autem facili operâ Bellarminianum fortè per non fortè ex opposito eludere, nisi alia ad respondendum superessent subsidia. Et primo quidem non adeò feliciter Bellarminus divinat, Augustinum fortè de Idolis gentium loqui; cum supra ex ipso & integro verborum Ejus contextu fuerit observatum, agere ibi Sanctum Doctorem de

de morib.  
Eccles.  
cap. 34.

lib. 8. de  
Civ Dei.  
cap. ult.

his, qui vel in ipsâ Religione verâ sunt superstitionis, vel ita libidinibus dediti, ut oblitâ sint, quid promiserint DEO. Deinde & in secundo Bellarmini responso non opus fuit divinatione & dubitatione, dum certum sit, loqui Augustinum de iis, qui Imagines Sanctorum superstitione colebant; neque opus etiam fuit Damasceni testimonio, ut aliquos fuisse Christianos demonstraret, qui Imagines quasi Deos adorarent. Illud enim ipsum Pater Augustus voluit, dum contra Picturarum adoratores scripsit, quosvis verâ Religionis cultores graviter hortatus, ne turbas imperitorum sectentur, semetipsum superstitionis Imaginum cultoribus immiscentes. De tertio itidem jam supra dictum, nihil id obesse, quod Augustinus in primordiis suâ ad Fidem Catholicam conversionis scripserit, nisi ad oculum demonstraretur, Eum id postmodum sibi retractasse, suamque super eâ re mutasse Sententiam. Et quia ex hoc *de moribus Ecclesiæ Catholicæ* libro Augustinus alia retractavit, nullo planè modo hæc prætermisisset, si Christianis aliquam sentulisse injuriam existimasset. Falsum est enim, quod Bellarminus audacter pronuntiat, Augustinum postea melius instructum eos, quos pridem adoratores picturarum vocavit, ritibus eorum quasi Idololatriæ offensus, omninò ab Idololatriâ excusasse. Nam etsi de iis, qui ponebant epulas super tumulos mortuorum, & de quibus existimavit, eos cadaveribus offerre epulas, alias & alibi quasi per exultationem videretur scripsisse, eos, qui id faciunt, non offerre mortuis Epulas, sed cibos solum ponere super tumulos Martyrum, sperantes, eos à Deo per Martyrum preces sanctificari; supra tamen quoque notatum est, & hic iteratò observari debet, Augustinum per particulam disjunctivam *vel* unum ab altero distinxisse. Et quamvis ex abundantia concederemus, per Sepulchrorum adoratores intellexisse Augustinum eos, qui epulas super tumulos mortuorum ponebant, & multis cum excessibus celebrabant; fatebuntur tamen, spero, ingenui Operum Augustini lectores, alios fuisse, quos picturarum, alios autem, quos Sepulchrorum adoratores dixit; ac de utrisque aliter sentiendum. De cætero, quod aliàs in opere *de Civitate DEI* quasi per concessionem & aliquam exultationem de illis ad Martyrum Sepulchra adoratoribus scripsit Augustinus, hæc notabili cum limitatione scripsit, *idâ Christianis melioribus non fieri, & in plerisque terrarum nullam talem esse consuetudinem*. E contrario notant Commentariis, sua, in quibus ante hoc seculum vixit, tempora cum tempore Augustini, Christianosque veteres cum novis in hoc Sanctorum cultu conferens: *Multi Christiani in re, bonâ plerumque peccant, quod Divos Divasque non aliter venerantur, quàm Deum; nec video in multis, quod sit discrimen inter eorum opinionem de Sanctis, & id, quod gentiles putabant de Diis suis, id quod ad præcedentem quoque Controversiam observasse alicujus operâ non plane nullum erit pretium.*

Nunc præter id adhuc aliud vindicari debet testimonium Augustini, ex ejus Platini contra gentilium Deastros & Simulacra Explicatione desumptum, undè supra jam aliqua fuere producta & vindicata. Dum enim Bellarminus ad ea Scripturæ utriusque Testamenti loca contra Imaginum cultum laudari solita, in quibus severe prohibetur, in genere respondet, *Scripturas reprehendere cultum, qui Simulacris, tanquam Diis tribuuntur*; de Calvino simul monet, *conari Eum offendere, etiam Judæos & Gentiles non habuisse Simulacra pro Diis, sed in simulacris verum coluisse DEUM, & tamen reprehendi, quia DEUS non patitur suum cultum ullo modo communicari cum Imaginibus*. Et quidem quod Gentiles verum DEUM coluerint in Idolis, probari inter alia ex Augustino, referent, Gentiles, cum accusati fuerint Idololatriæ, solitos respondere; *se non ipsa colere Idola, sed Numen, quod per Idolum significetur*. Bellarminus id inter Calvini mendacia refert, & ut demonstrat, credidisse Gentiles, Idola esse Deos, non solum ad Scripturæ loca provocat; ea in primis, quæ expressè dicatur, *Ethnicos invocare solitos Idola & eis suam commendare Salutem, neminem verò invocare aut orare Simulacrum*, teste ibidem Augustino, qui non ab illo putet se exaudiri; sed & ad aliqua Patrum testimonia, Augustini nominatim, expressè scribentis: *Fateor, alius esse demersos, qui opera hominum Deos putant, quàm qui opera Dei*. Et iterum: *illi venerantur Simulacra vel tanquam Deos, vel tanquam Signa & Imagines Deorum*. Alibi etiam & in Locis supra citatis, *Ethnicos multos putasse, ipsa vivere, spirare & audire Simulacra, & proinde esse Deos viventes, & in hoc errore forveri ex ipsâ membrorum humanorum similitudine*. Addit Bellarminus tanquam huc pertinens, *Ecclesiæ Doctores, qui contra Gentes scripserunt, Ethnicos ridere, quod ligna & lapides pro Diis coluerint*. Imò Hermem

in Plat. 113

lib. III.  
de Doctr.  
Christ.  
cap 7

tem quoque Trismegistum apud Augustinum dicere, *alios DEOS factos a summo DEO*, ib. 8. de Civit. Dei, cap. 23. *alios autem ab hominibus, & hos esse statuas, quibus arte quadam magicâ adligentur Demones*, ibid. cap. 26. lib. 18. cap. 5. *ita ut statua sit quasi corpus DEI, spiritus autem inclusus sit anima, & totum Idolum sit DEUS, quo modo corpus & anima est homo.* Et quia in eo etiam aliqua & non multum dissimilis est controversia, num Gentiles in Idolis coluerint creaturas pro Diis, probare id Bellarminus intendit ex Augustino etiam, demonstrante, *Deos Paganorum homines fuisse, & scribente, Serapidis simulacrum digito & os admoto indicare solitum, ut raceretur, serapidem fuisse hominem, imò & capitis penam iis constitutam, qui serapidem fuisse hominem dicerent, cum tamen verè hominem fuisse, & mortuum ac sepultum constaret.* Alia brevitas causâ prætereo, quæ Bellarminus porro ex Idololatriæ Gentilis historiâ, citatis eam in rem Augustini testimoniis, collegit, non ignota vel intacta iis, qui hoc demum Seculo enucleatissimè hoc argumentum tractârunt, interque eos, & qui omnium instar esse potest, *Vossio*, quem qui hujus Seculi dixit *Varronem*, benè, si non optimè dixit; *cujus labores dum ante Annos non ita multos Herbertus*, Baro Anglus, opere *de Religione Gentilium* scripto, in aliquod redegit compendium, laudabilem studiose Juventuti navasset operam, nisi novis quibusdam de Salute eternâ per solum Naturæ Lumen acquirendâ, & insolitis hætenus minusque receptis hypothefibus examen aliquod rigidius & centuram severiorem contra se provocasset, necessitate summa id exigente, ut Lectores studiosi præmunirentur, ne Gentilium Idololatriarum tenebræ olim Luce prædicationis Evangelicæ per Apostolorum ex Christi mandato Ministerium disculsa, iteratò cum aliis erroribus Ecclesiam adhuc orthodoxam magno agmine vexantibus & miserè dilacerantibus, in Lucem publicam, non sine insigni animarum damno plurimumque præfenti scandalo reproducerentur. Sed ad Bellarminum, contra quem supra jam bona pars illius testimonii, quod Enarratio Augustini in laudatum contra Gentilium Idola Psalmum suppeditat, fuit vindicata.

Nunc cætera hæc pertinentia addentur, ut adpareat, verè *Peresium* scripsisse, Augustinum non ignorasse, *paucos autem* (quamvis non planè) *nullos esse vel fuisse inter gentes, qui materias Idolorum sic sculptas DEUM aut Deos esse putarent.* Idè enim Doctor augustissimus ipse inter GENTILIUM CRASSIORES & SUBTILIORES notanter distinxit, scribens: *Videntur sibi purgatoris esse religionis, qui dicunt, nec Simulacrum, nec Demonium colo, sed per effigiem corporalem ejus rei signum intueor, quam colere debeo.* Ita verò interpretantur simulacra, ut alio dicant significari Terram, undè Templum solent adpellare telluris, alio Mare, sicut Neptuni simulacro, alio aerem, sicut Iunonis, alio Ignem, sicut Vulcani, alio Luciferum, sicut Veneris, alio Solem, alio Lunam, quorum Simulacris eadem nomina sicut Telluris imponunt, alio illud, alio illud sidus, vel illam, vel illam creaturam, neque enim cuncta enumerare sufficimus. De quibus rursùm, cum exagitari ceperint, quod corpora colant, maximeque Terram & Mare & Aerem & Ignem, quorum nobis in promptu usus est, (nam de cælestibus, quoniam nostro corpore ea contractare atque contingere nisi oculorum radiis non valemus, non ita erubescunt;) respondere audent, non se ipsa colere corpora, sed que illis regendis præsident Numina. Itaque una Apostoli Sententia pœnam istorum damnationemque testatur, *Qui transmutaverunt, inquit, veritatem DEI in mendacium, & coluerunt & servierunt creaturæ potius, quàm Creatori, qui DEUS est benedictus in Secula.* Nam parte Sententiæ priorè damnavit Apostolus simulacra, posteriori autem interpretationes Simulacrorum. Effigies enim à Fabro factas adpellando nominibus earum rerum, quas fabricavit DEUS, transmutant veritatem DEI in mendacium; res autem ipsas pro Diis habendo & venerando serviunt creaturæ potius, quàm Creatori, qui est *Benedictus in secula.* Expresè his verbis Sanctus Pater distinguit inter cultum Simulacrorum vel Imaginum, & inter cultum creaturarum, Terræ, Maris, Ignis, aliorum, quibus Gentiles variis modis Divinos, etiam per Simulacra & Imagines, exhibuerunt honores; quod discrimen si Bellarminus in hoc quidem Augustini testimonio observasset, non ita crudè mentem Ejus Lectori exhibuisset. Et probè notandum est, non pauca his Augustinum verbis in Gentilium Idolo- & Iconolatriâ animadvertisse, & ex debito quidem, quæ hodie etiam possunt occupare locum contra eam Hagio- & Iconolatriam vel doliâ, contra quam hætenus ex Augustini armamentario militavimus & porro etiam militabimus, Ejusque sinceram mentem ab iniquâ detorsione ac pravâ explicatione vindicabimus, ostenturi, quæcunque ex aliis Ejus Scriptis collegit Bellarminus, parùm aut omninò nihil ad rem facere præsentem. Certè dum Sanctus Doctor fatetur, *alios esse demersos, qui opera hominum Deos putant, quàm qui opera Dei;* dum item agnoscit, *Gentiles Si-*

mulacra venerari vel tanquam Deos, vel tanquam Signa & Imagines Deorum, non nisi utrumque discrimen indigitatum inter cultum Simulacrorum & creaturarum, item inter Idololatrias crassiores & subtiliores voluit indicare, si modò aliqua subtilitas in hæc ter Idolo- & Iconolatriâ locum habere potest, & non potius eo hic accipienda venit sensu, quo Gentilium aliqui se præ aliis in cultu Deorum vel potius Deatrorum subtiliores esse existimârunt, quàm imaginationem hodièque non paucorum esse, iis cognitum est, qui inter Imaginum cultores vivunt, rationesque eorum de hõc cultus modo audiunt. Ad id verò, quod Augustinum scripsisse Bellarminus monet, *multos Ethnicorum putasse, ipsa vivere, spirare & audire simulacra, & proindè Deos esse viventes, & in hoc errore foreri ex ipsâ membrorum humanorum similitudine*; ut prolixè non urgeam, non rite Augustini verba à Bellarmino fuisse adducta, quæ supra hunc in modum fuere exhibita: *Ipsâ similitudine animatorum membrorum atque sensuum, quam vis insensata atque exanima, infirmos adficere animos, ut vivere ac spirare videantur, accedente præsertim multitudine*

Epist. 49.  
ad DEO-  
grat.  
Quæst. 3.

*divinis veneratione &c.* Ut inquam hoc prolixè non urgeam, quod tamen non parum momenti habere possit; illud loco responsi repetere juvat, quod supra in ejusdem ex Augustino testimonii examine fuit observatum, ac quemvis Imaginum cultorem interrogare, an, si per Miracula Imagines flevisse & verba fecisse, laudatis etiam testibus, ac certis cum circumstantiis refertur, & à non paucis, præsertim superstitionioribus creditur, qui præsertim prudentiores & præ aliis subtiliores videri volunt, existimant, ipsas Imagines flevisse & verba fecisse, obque id Divinis adficiendas esse honoribus, Quæ de *Hermes* porrò *Trismegisti* sententiâ ex Augustino produxit Bellarminus, ut ostendat, Simulacra à Gentilibus pro Diis fuisse habita, nullum aliud merentur responsum, quàm quod *Hermes* ille *Trismegistus*, utut à suis quondam cultoribus pro Sapientissimo

vid. Ursin.  
de Antiqu.  
Mosaic.  
Exerc. II.  
pag. 73.  
& seqq.  
Horn, Hi-  
stor, Phil.  
lib. II.  
cap. 6.  
pag. 86.  
seqq.

& subtilissimo fuerit habitus, ab Augustino, & id quidem jure meritoque, relatus sit in numerum crassiorum, quos dixi, Icono & Idololatrarum, de quibus in testimonio proxime laudato scripsit, *quod altius fuerint demersi*, quibus in Psalmi contra Gentium Idola Explicatione oppoluit, quos sibi metipsis videri *purgatoris esse religionis* monuit, dicens, *se non Simulacrum colere, sed per effigiem corporale ejus Rei Signum intueri, quam se colere debere existimant.* Hinc Augustinus expressè hunc *Hermetem* refert inter eos, de quibus dicit *Apollolus*, *quod cognoscetes Deum non sicut Deum glorificaverint aut gratias egerint, sed evanuerint in cogitationibus suis, & obscuratum sit insipiens cor eorum, & dicentes, se sapientes esse, facti sint stulti, & immutaverint gloriam incorruptibilis DEI in similitudinem Imaginis hominis corruptibilis &c.* Addit Sanctus Doctor, ut crassitiem erroris in hoc *Hermete* uberius Lectori ponat ob oculos: *Nescio, quomodo obscuratiōe cordis ad ista delabitur, ut Diis, quos conficitur ab hominibus fieri, semper velit homines subdi, quasi quidquam sit infelicis homine, cui sua dominantur signa.* Et post aliqua: *Hæc vanis, deceptoris, perniciois, sacrilega, Hermes.* Addantur, quæ sequenti capite contra *Hermetem* hunc urget Pater augustus, & satis hæc confirmabuntur. Eadem penè ratio est eorum, quæ Bellarminus itidem ex Augustino de eo Gentilium errore observavit, quo homines mortuos pro Diis coluerunt, nihil omninò Evangelicis, multum verò iis Sanctorum cultoribus obficientia, qui eos in Imaginibus etiam venerari & adorare, non absque plurimo honoris soli Deo debiti detrimento consueverunt, ut alii idem faciant, pluribus modis urgentes.

Et hæcenus illa vidimus Augustini testimonia, quæ partim Bellarminus pro Imaginum cultu perperam laudavit, partim contra Imaginum cultum ab aliis adduci solita, contra mentem & sententiam augusti Doctoris pervertit, utraque suo Authori & merito debito restituta & vindicata. Restat nunc Quæstio postrema de ipso cultus genere, quo videlicet dignæ sint Imagines, de quâ Bellarminus ad consensum inter Scriptores, nimirum Papæos demonstrandum fateri coactus est, tres esse Sententias, easque inter se non parum diversas. Et primam quidem, quod imago non sit ullo modo in se colenda, sed solum coram Imagine sit colendum exemplar; id videri sensit *Alexandrum Pontificem*, *Cardinalem Durandum*, *Alphonsum à Castro*. Secundam esse, quod idem honor debeat Imagini & Exemplari, & proindè Christi Imago sit adoranda cultu Latriæ, Beatæ Virginis Mariæ cultu hyperdulæ, Sanctorum verò aliorum cultu dulæ; ita sensit eundem *Alexandrum*, *Thomam Bonaventuram*, *Marillum Almaynum*, *Carthusianum*, *Capreolum*, *Henricum Gandaventem*, *Cajetanum*. Tertiam versari in medio, ac esse eorum, qui ipsas dicunt Imagines in se & propriè honorari debere, sed minori quàm ipsum exemplar honore, & proindè nullam Imaginem cultu latriæ

latriæ adorandam esse; ita statuisse Peresium, Catharinum, Sanderum, & idem videri etiam tenuisse Bielem. *En Harmoniam!* Quamvis ut eam aliquâ ratione sistat Lectori, omnemque tollat inter diversas has Sententias contradictionem, tribus distinctiunculis rem omninò expeditam dare studuit Bellarminus, quinque Propositionibus Sententiam de Cultu Imaginum verè Catholicam explicans, è quarum numero dum secunda tantum Augustini facit mentionem, de eâ breviter aliquid restat dicendum, quam his exhibuit verbis: *Quantum ad loquendi modum, præsertim in concione ad populum, non est dicendum, Imagines ullas adorari debere latriâ, sed è contrario, non debere sic adorari.* Quid in hac Bellarmini Propositione dignum sit animadversione, ut prolixè indicetur, opus non est. Sufficit id tantum observasse, non ad eò bonæ videri causæ indicium, de modo loquendi, præsertim in concione ad populum, plus esse sollicitum quàm de Sententiâ ipsâ veritate & sinceritate. Notarique debet insufficiens enumeratio partium, dum Bellarminus quidem non vult, ut dicatur, *Imagines ullas adorari debere latriâ, sed potius è contrario vult prohiberi, eas non debere sic adorari, ad dens rationem, non carere magno hanc doctrinam & loquendi formam periculo, & qui eam defendunt, cogi adhibere subtilissimas distinctiones, quas ipsi vix intelligant, nedum populus imperitus, ac insuper hunc loquendi modum offendere aures Catholicorum, & præbere occasionem hæreticis liberius blasphemandi;* dum, inquam, Bellarminus prohiberi vult populum, ne sic, id est, cultu Latriæ, Imagines adoret, omisit tamen addere modum, quo adorari debeant, an dulia, vel hyperdulia, quæ distinctionum vocabula secundæ opinionis Patronos adhibere, Bellarminus ipse significavit. In primâ quidem Propositione scribit, *Imagines Christi & sanctorum venerandos esse non solum per accidens vel improprie, sed etiam per se & proprie, ita ut ipse terminent venerationem, ut in se considerantur, & non solum, ut vicem gerunt exemplaris.* In tertiâ & quartâ pro uberiori suæ mentis expositione addit, *si de re ipsâ agatur, admitti posse, Imagines posse coli improprie & per accidens eodem genere cultûs, quo exemplar ipsûm colitur, per se tamen & proprie non posse.* In quintâ & ultimâ subjungit, *Cultum, qui per se & proprie debeat Imaginibus, esse cultum quendam imperfectum, qui analogicè & reductivè pertineat ad ejus cultûs speciem, qui Exemplari debeat.* Sed per velim scire, an Bellarminus existimaverit, populum imperitum, cujus inter auditores maxima semper pars esse solet, si illi hæc de cultu Imaginum per accidens vel improprie, de cultu analogico & reductivo proponantur, magis hæc capere & intelligere, quam si de cultu Latriæ iisdem distinctionibus adhibitis informetur? Eadem certè videtur esse ratio, cuicumque cultûs generi vel speciei hæc distinctiones adplicentur, ingeniis Simpliciorum æquè ad hunc ac illum ineptis & incapacibus. Et dum doceri vult populum Bellarminus, quo Imagines modo non debeant adorari, omninò alium ostendere debuit modum, quo debeant adorari, & quidem explicatu ac intellectu faciliorem, cum præcipua hujus prohibitionis ratio juxta Bellarminum in eo consistat, existimantem & rectè quidem, populum imperitum illas non intelligere distinctiunculas, per quas cultus Latriæ à periculo scandali possit & debeat præservari. Quidquid autem sit, si verè & seriò Bellarminus cultum latriæ Imaginibus voluit detractum, ut omninò debuit, Evangelicos sibi non habet dissentientes, præsertim, quia Propositionem hanc suam, præter aliquot Conciliorum Decreta, etiam aliquibus Ecclesiæ Doctorum testimoniis, nominatim Augustini munivit & confirmavit, cujus verba à Bellarmino laudata omninò hic legi merentur, cum egregium Sententiæ Evangelicorum contra Imaginum cultum in Ecclesiâ Romanensi usitatum adferre possint commodum & momentum. Ita autem Pater augustissimus: *In primo Præcepto prohibetur coli aliqua in signentis hominum Dei similitudo, non quia non habet imaginem DEUS, sed quia nulla Ejus imago coli debet, nisi illa, quæ hoc est, quod ipse, nec ipsa pro illo, sed cum illo.* Ferdinandus quidem Velosillus, Episcopus Lucensis, Scriptor Posservino etiam laudatus, in opere, quod vocat, *Advertentiarum Theologiæ Scholasticæ in Chrysostomum, Hieronymum, Ambrosium, Augustinum, Gregorium* cognomine *Magnum*, quod sub initium hujus Seculi prodiit Venetiis, secundam inter Sententias à Bellarmino recensitas defendens, quam & ille adscribit præter alios *Thomæ*, contra quam in *Vindiciis Evangelico-Thomisticis* de Ejus mente in hac Controversiâ fuit monitum; *Velosillus*, inquam, ad hoc Augustini testimonium, post triplicem Imaginum considerationem, aliaque in rem suam adducta, hic prolixè non exscribenda, ne videlicet Augustinus cultui Imaginum contrarius videatur, ita respondendum censer, quod nimirum *Sanctus Pater solum explicet prohibitionem secundæ & tertiæ negationis primi Præcepti, nempe, Non facies tibi sculptile, non adorabis illud, neque colēs, qualiter debeat*

Epist. 119.  
ad Jan.  
num. 11.



intelligi, & dicat, quod prohibeatur in signis hominum coli aliqua Dei similitudo, & explicet, non quia Deus Imaginem non habeat, sed quia nulla Ejus Imago coli debeat, ut Deus, ac si Nomen Divinum ipsi insit Imagini, id enim esset crimen Idololatriæ, quod hoc primo prohibeatur præcepto; & ad excludendam omnem Idololatriæ suspicionem doceat, Imagines tam Dei, quam Divorum qualiter adorari debeant, & dicat, quod Imagines simul cum prototypo venerari & adorare debeamus, in quantum forma Dei vel Sanctorum in illis existunt. Et hoc esse, quod dicat, neg. ipsam, nempe Imaginem pro illo, sed cum illo, eodem cultu adorandam esse, quo res ipsa. Sed hypothelibus suis innititur Advertentiarum Scriptor non usque adeo accuratus, secundum quas dum Augustini verba explicare conatur, magis implicat, ut quæ mens Ejus fuerit, vix indè liceat percipere, in eo præprimis egregie fallus, atque augusto Doctore peregrinam adtingens Sententiam, quod Eum docere putat, Imagines simul cum prototypo adorari debere, in quantum forma Dei vel Sanctorum in illis existant. Testatur enim alibi Sanctus Pater de Christo, ipsius Dominicæ carnis faciem innumerabilium cogitationum diversitate fingi & variare, & de Beatâ Virgine Mariâ, ignotam esse Ejus faciem, ut & Apostolo Paulo, penitus ignorari, quâ Is facie fuerit: quod certè scribere non potuisset, si illo tempore certi fuissent Christiani de Imaginibus Christi, Mariæ, Pauli, cum Eorum prototypis ex assè convenientibus, & si, ex Ejus Sententiâ, Imagines simul cum prototypis coli & adorari debuissent. In eo autem planè mentem Sancti Patris non advertit Episcopus Lucensis, quod, dum Augustinus scripsit, nullam Dei Imaginem coli debere, nisi illam, quæ hoc sit, quod ipse Deus, nec ipsam pro, sed cum illo; existimavit, intellexisse augustum Doctorem Imagines Dei sculptas vel pictas: cum tamen ipse verborum tenor non obscure testetur, eam hic describi Imaginem DEI, nimirum Patris, quæ ab Eodem juxta Apostoli ductum sensu eo dicitur Imago Patris, quo Patris Virtus, Sapientia, Verbum dicitur, Christum videlicet, quod observasse, advertentiam hanc inadvertentiæ est convicisse, atque Augustinum sibi metipsum restituisse. Ob signum hanc tractationem verbis augustissimi Doctoris, Regii Pfaltis Sententiam huc quam maxime accommodam hæc paraphrasi illustrantis: *Confundantur omnes, qui adorant sculptilia. Erubescant, qui Lapides adorant. Nos vivum invenimus Lapidem.*

lib. 8. de  
Trin.  
cap. 4.  
& f.

lib. 7.  
de Trin.  
cap. 2.

in Pfal. 96.

## CAPVT VIGESIMVM SEXTVM, & seqq.

D E

Adoratione Crucis.

EXhibet hanc Controversiam Bellarminus quasi adpendicem ad præcedentes duas de Reliquiis & Imaginibus Sanctorum, earumque cultu & veneratione, atque eam ita tractat, ut hinc indè non semel Augustinum pro more ad suas trahere partes conetur, quem antehac *sandæus* etiam Historiæ *Staurophilorum* vel potius *Staurolatrarum*, ne quid durius dicam, tanquam præ multis insignem Crucis Dominicæ cultorem inseruit & commendavit. Quales Evangelicorum partim de ipsâ Cruce lignea, in quâ metrisimus de universo genere humano Salvator Christus inter duos latrones pependit medius, partim de efficacità & virtute Satisfactionis vel Passionis in Crucis ligno ad finem perductæ sit Sententia, ne inter hostes Crucis juratos ab Apostolo descriptos jure possint meredque recenteri, in Solis mensâ, nisi omnino fallor, scriptum, ac orbi verè Catholico non ita obscure est expositum. Quod autem illis Ligni particulis, quæ ut plurimum non sine multâ suppositionis suspitione ad cultum & venerationem indebitam proponuntur, Imaginibus item Crucis Dominicæ, sive ligneis, sive lapideis, sive aureis etiam vel argenteis, vel de quâcunque materiâ fabricatis, eum non exhibeamus honorem, qui ab aliis exhibetur, neque etiam Signo Crucis manufactæ eam adscribamus virtutem & efficaciam, eos itidem fructus & effectus, quos nominatim Bellarminus adscribit, quod nimirum *terreat & fuget Demones, pellat morbos & alia quævis mala, sanctificet quoque ea, quibus imprimitur*; ob id pro hostibus Crucis non sumus habendi, quia de his nullum ex auctoritate Biblicâ documentum, nullum ex Antiquitate Orthodoxa, in specie Scriptis Augustini, testimonium laudari potest, quo duci nos ad hunc Crucis cultum videmus, nisi velimus seduci, idque Crucis ligno, Imagini, Signo adscribere, quod propriè & in solidum Crucifixo adscribi par est. Ante omnia autem hic advertendum venit, quod, dum citatus ad finem præcedentis

vid.  
Part. 1.  
lib. 7.  
num. 12.  
pag. 117.

Con-

Controversiæ Scriptor *Advertentiarum* ex Augustini mente, quamvis non ritè perceptiâ & expressâ, docuit, *Imagines simul cum prototypo adorari debere, in quantum forma Dei vel Sanctorum in illis existunt*, id quod extra dubium de Imagine Crucis etiam voluit intellectum; de ipsâ Crucis Dominicæ figurâ Patres antiquos non idem sensisse, eamque aliter quoad partem ejus in specie superiorem descripsisse Hieronymum, aliter verò Augustinum, ipse Bellarminus agnoscere fuerit coactus, ut Augustini Sententiam quasi probabiliorè amplectens, neque tamen Hieronymi, tanquam parumper differentem, omninò rejiciens, sed & eam simul veram esse existimans. Ego meam hanc non facio controversiam, quam post *Lipsium*, (qui magis de externâ Crucis Dominicæ formâ, quàm interna ipsius de Cruce Evangelii virtute fuit sollicitus,) non pauci hoc Seculo ex numero Literatorum ultrò citròque discusserrunt, ex Evangelicis *Dilberius*, ex reformatis *Salmasius*, ex Papæis Apostata *Nihusius*; cùm ad causæ momentum, quantum ad Evangelicos pertinet, nihil inter omninò sit, quâ fuerit forma vel figura lignum Crucis, in quo Christus pendit, Papæis è contrario de Imagine Crucis colenda & adoranda sollicitis, de cujus forma tamen & figura non usque adeò certi sunt & indubii, quod annon ipsi cultui aliquod create possit præjudicium, ipsumque facere non unâ ex parte suspectum, videant, qui in hisce talibus ante alios volunt videri & prudentiores & subtiliores. Et quia Bellarmino probabilior Augustini Sententia videtur, lubet eam sistere Lectori ex duobus locis Bellarmino præteritis, in quibus allegoricè simul Crucis Dominicæ figuram exposuit. In priori explicans Oraculum de quatuor dimensionibus Theologicis, *latitudine, longitudine, altitudine & profunditate supereminentis Divini amoris*, Apostolicum, ita scribit: *Ego hæc Apostoli Pauli verba sic intelligere soleo, in latitudine bona Charitatis opera, in longitudine perseverantiam in bono usque in finem, in altitudine spem celestium præmiorum, in profundo judicia Dei inscrutabilia, undè ista in homines Gratia venit; & hunc intellectum coaptare etiam Sacramento Crucis, ut in latitudine transversum accipiat lignum, quo extenduntur manus propter operum significationem; in longitudine ab ipsiusque in terram, ubi totum corpus crucifixum stare videtur, quod significat persistere, hoc est, longanimitè permanere; in altitudine ab ipso transverso ligno sursum versus, quod ad caput eminet, propter expectationem supernorum, ne illa bona opera, atque in eis perseverantia propter Beneficia DEI terrena atque temporalia credantur faciendâ, sed potius propter illud, quod desuper sempiternum sperat Eides, qua per Dilectionem operatur; in profundo autem pars illa ligni, que in abdito terre defixa latet, sed inde consurgit omne illud, quod eminet, sicut ex occultâ Dei voluntate vocatur homo ad tantâ Gratia participationem, alius sic, alius autem sic.* In posteriori idem ex occasione tractans Oraculum eadem ferè repetit verbis sequentibus: *Fortassis cruce[m] Domini significat Apostolus. Erat enim latitudo, in qua porrectæ sunt manus; longitudo à terrâ surgens, in qua erat corpus infixum; altitudo, ab illo invexo ligno sursum, quod eminet; Profundum, ubi fixa erat crux, & ibi omnis spes vite nostræ. Latitudo enim est in bonis operibus, longitudo in perseverando usque in finem; altitudo propter sursum cor, ut omnia sint bona opera nostra, in quibus perseveramus usque in finem, habentes latitudinem, quâ benè operamur, & longitudinem, quâ perseveramus usque in finem, non forsitan neque) faciamus aliquid, nisi spe celestium præmiorum. Ipsa est enim altitudo, non hic querere mercedem, sed sursum, ne dicat ur nobis, Amen, dico vobis, præceperunt mercedem suam. Profundum autem quod dixi, ubi erat fixa pars Crucis, & non videbatur, inde resurgebant, que non videbantur.* Hæc Augustini loca non adduxissem; utpotè nullam moventia in se controversiam, nisi Bellarminum similibus pro cultu & adoratione Crucis militare, tanquam invidtis rationibus & argumentis observassem; ut nimirum Lectori Veritatis orthodoxæ studiose in antecessum constaret, an ex allegoricis hisce Expositionibus pro Stavro-latriâ vel duliâ firmiter possit aut debeat concludi.

Post primum ergò argumentum, quod ratione ex Scripturis desumptâ munire studuit Bellarminus, ut aliquem Cruci Dominicæ, in quacunq; etiâ forma, Imagine & signo, obtineret cultû, secundum esse voluit à Mysteriis in ipsa Cruce significatis desumptum, Augustino in primis eam in rem adducto, paucisq; ex Eo verbis pro consensu citatis, quæ ad Oraculum Pauli proximè laudatum pleniorè contextu hæc sunt: *In hoc Mysterio figura Crucis ostenditur. Qui enim, quia voluit, mortuus est, etiam quomodo voluit, mortuus est. Non frustra igitur tale mortis genus elegit, nisi in eo quoque latitudinis hujus, & longitudinis, & altitudinis, & profunditatis Magister existeret.*

Kk 4

Nam

Ephes. 3.  
Epist. 112.  
ad Paul.  
cap. 13.

in Pf. 103.

Epist. 123.  
ad Honor.  
cap. 26.

Nam latitudo est in eo ligno, quod transversum desuper figitur. Hoc ad bona pertinet opera, quia manus ibi extenduntur. Longitudo in eo, quod ab ipso Ligno usque ad terram conspicuum est, ibi enim quodammodo statur, id est, persistitur & perseveratur, quod longanimitati tribuitur. Altitudo est in eâ ligni parte, quæ ab illo, quod transversum figitur, sursum versus reliquitur, hoc est, ad caput Crucifixi, quia bene sperantium superna est expectatio. Iam verò illud ex ligno, quod non adparet, quod fixum occultatur, undè totum illud exurgit, profunditatem significat gratuita Gratiæ, in quo multorum Ingenia concenterunt id vestigare conantia. In Epistolâ antecedente, ad quam itidem pro Crucis Dominicæ, ob Mysteria per eam significata, cultu provocavit Bellarminus, eadem ferè habet Augustinus, scribens: *Hilaritatem*, in laboribus nimirum vel operibus bonis, significat Crucis Latitudo in ligno transverso, ubi manus figuntur; per manus enim opera intelligimus, per latitudinem operantis hilaritatem, quia tristitia facit angustias. Per altitudinem verò, cui caput adjungitur, expectationem Retributionis à sublimi Iustitiâ Dei, qui reddet unicuique secundum opera sua; iis quidem, qui secundum tolerantiam &c. Itaque longitudo etiam, quâ totum corpus extenditur ipsam significat tolerantiam, undè longanimes dicuntur, qui tolerant. Profundum autem, quod terra infixum est, secretum Sacramenti figurat. Hæc omnia diversis quatuor locis Doctor augustissimus, quatuor Dominicæ crucis latera, quatuorque Divini Amoris super eminentissimi dimensiones ab Apostolo, cœlesti Geometrâ descriptas & Lectori Mysteriorum non nimis curioso scrutatori commendatas, per Allegoriam non ad eò impertinentem sibi visam explicans & illustrans, nullâ tamen ne minimâ quidem mentione tactâ, quasi ob latens hoc suâ opinione in Crucis Dominicæ figurâ, ad quam adluisse Apostolum putavit, Mysterium, ipsa Crucis figura, Imago, signum coli vel adorari, eidemque vis tanta adscribi debeat, qualem ei Bellarminus adscribere jam vidimus. Illud certè Patri Sanctissimo nunquam venit in mentem, etsi suum non immeritò nomen habeat inter veros Crucis Dominicæ cultores, quibus Evangelici etiam accenseri cupiunt, modò ne quid ab eis exigatur, quod ipsius Crucifixi honorem minuere possit videri, hunc præ illa magis æstimantes. Et certè, si omne illud colendum & adorandum est, quod per allegoriam, non indice Dei digito, sed humano ostensam aliquid videtur significare Mysterium, multa ad cultum & adorationem essent adsumenda, nil minus quàm cultum & adorationem merita, atque sic objecta cultûs in infinitum & sine numero forent multiplicanda, nullâ non re, etiam quandoque vilissimâ, aliquod in se Mysterium continente, si Hieroglyphicis antiquorum & Symbolicis explicationibus, quæ etiam Ecclesiæ Doctoribus, nominatim Clementi Alexandrino & Epiphano, veratissimis in Seculari Literatura Patribus, & ad quas ipse Bellarminus in hoc eodem argumento Lectorem manu quasi duxit, standum sit, quâ tamen ratione non nisi damnata Gentilium Idololatria reintroduceretur, nullâ ferè, contemptissima etiam creaturâ à cultu adorationis exclusâ, & cui non Divinos adtribuerint honores, ut ex Idolographis ad horrorem usque notum est. Sit autem ita, lateant hæc Mysteria secundum Augustini Sententiam sub ipsâ Crucis forma exteriori, concedamus etiam, elegisse Christum hoc Passionis suæ & Mortis instrumentum eâ de causa, ut hæc Mysteria secundum Apostoli cœlitûs illuminati Geographiam per ipsam hanc formam, & quadripartitam dimensionem nobis ob oculos ponerentur, & ad devotam meditationem commendarentur, quæ tamen omnia manifestioribus indigent à Biblica manu ductione documentis; sit ita, inquam, sintque hæc omnia extra dubium, multis tamen adhuc opus erit demonstrationibus, ut liquidò probetur, ac extra omnem statuatur controversiam & dubitationem, ipsam Crucis formam & Imaginem, eamque ipsam adhuc juxta superius dicta non omni modò certam & prototypo per omnia similem, propter hæc Mysteria & Symbolicam significationem coli & adorari, eidemque virtutem & efficaciam singularem adscribi debere, id quod tamen Bellarminus exinde sequi audacter pronuntiavit, de vi consequentiæ parùm sollicitus.

Idem ferè responsum debetur argumento Bellarmini quarto, quod pro cultu & adoratione Crucis in medium produxit, desumptum à testimoniis Veterum, qui passim referant, quanto tenerentur fideles desiderio habendi aut certè videndi veræ Crucis particulas, id quod ad magnum Crucis honorem pertinere neminem putat ignorare. Quia enim inter alios testes Augustinum quoque refert, videndum, quo jure, quæve injuria? Provocat autem ad illum ex opere de Civitate Dei locum, in quo Sanctum Patrem scribere dicit: *Ad terram sanctam ex monte Calvaria adlatam in Africam Miracula*

lib. 22.  
cap. 8.

fi. 71

fieri solita, & se cum alio quodam Episcopo eam infodisse, & Orationis locum super eam constituisse. Addit Bellarminus: Quo honore Augustinus prosequeretur Crucem, quando sic honoravit terram, ubi fuerat Crux? Possem hic iteratò urgere, quod & supra non semel factum, eo in loco testimonium hoc legi, de quo Ludovicus Vivès testatur esse indubium, multa esse addita, velut declarandi gratiâ, ab iis, qui omnia magnorum Authorum scripta spurcis manibus suis contaminabant; quæ verba dum neque citatus paulò ante Advertentiarum in Patrum Scriptis Author, inter cavenda, neque Index Hispanicus, Antonii à Sotomajor jussu & studiis recognitus, inter expurganda in & ex Ludovici Vivès in hoc Augustini opus de Civitate Dei Commentariis numerarunt, eomet ipso veritati præbuerunt testimonium, videlicet, non usque ad eò esse indubitata, quæ ibidem copiâ satis magnâ, & numerò aliàs minus usitatò, ac prolixitate in toto hoc opere omninò insolitâ, non absque manus peregrinæ probabili suspitione & suppositione leguntur. Possem & illud addere, quod narrationis Bellarminianæ seriem non parum facit suspectam, videlicet, Augustinum, quod Bellarminus Ei adscribit, id non memorare, quasi à se, sed tanquam ab alio factum. Res ibi sequentem in modum habet: Vir irribunitus Hispanus, qui apud nos est, habet in territorio Fussalensi fundum Cubedi adpellatum, ubi cum adfectione seravorum & animalium suorum, domum suam Spirituum malignorum vim noxiam perpeti comperisset, rogavit nostros me absente Presbyteros, ut aliquis eorum illò pergeret, cujus cederent orationibus. Perrexit unus, obtulit ibi Sacrificium corporis Christi, orans, quantum potuit, ut cessaret illa vexatio. Deo protinus miserante cessavit. Acceperat autem ab amico suo terram sanctam de Hierosolymis adlatam, ubi sepultus Christus tertio die resurrexit, eamque suspenderat in suo Cubiculo, ne quid mali ipse etiam pateretur. At ubi domus ejus ab illâ infestatione est purgata, quid de illâ fieret terra, cogitabat; quam diutius in suo cubiculo reverentie causâ habere volebat. Fortè accidit, ut Ego & Collega tunc meus, Episcopus Synicensis Ecclesiæ, Maximinus in proximo essemus. Ut veniremus, rogavit; & venimus. Cumque nobis omnia retulisset, etiam hoc petiit, ut foderetur alicubi, atque ibi locus fieret orationum, ubi etiam possent Christiani ad celebranda, quæ Dei sunt, congregari. Non restitimus, factum est. Sunt non omninò nulla, quæ in collatione hujus testimonii, etiam si indubitato esset Augustini, cum citatione Bellarminianâ merentur animadversionem. Aliis omnibus prætermisissis, illud antè omnia, quod dixi, venit notandum. Bellarminum Augustino adscribere, quod soli non resistentiæ Ejus hic adscribitur. Cadit hinc illatio Bellarminiana, quæ ad majus concludit à minori, putans, ipsam Crucem Dominicam in multò majori honore habitum iri ab Augustino, qui terræ particulam tanti aestimasset ex illâ regione adlatam. Largiamur verò ex abundantia, sinamus verum esse, quod hic memoratur, admittamus etiam, ex merâ tamen & gratuita liberalitate, id quod Bellarminus quasi ab ipso factum Augustino narrat, ad minimum, consensu suo adprobaverit terræ Hierosolymis adlatæ infestationem, & super eâ Oratorii alicujus constitutionem. Quid inde? Anne sequitur, Sanctum Patrem ipsam hanc terræ particulam adorasse, aut ejus adorationem in aliis adprobasse? Minimè id quidem, & ne per prolixissimam consequentiarum mutuo se amplectentium catenam, nisi à baculo ad angulum, id est, absurdissimè quis argumentari velit. Non ad eò impertinenter fortè huc refertur, quod Sacri Regum in populo Dei Annales de Naeman, Syriæ Regis Ministrorum primario, à Leprâ per Jordanis aquas ex consilio Prophetæ Elisæi miraculosè liberato, & hinc ad salvificam Dei cognitionem perducto memorant, Eum in discessu à Prophetâ licentiam impetrasse, aliquam terræ partem ex regno Israel secum in Syriam devehendi, ob causam, quam præter alios Interpretes Sanctius verbis sequentibus explicavit: Sicut, qui curati fuerunt à Christo, & à corporali morbo liberati, spiritualera quoque acceperunt salutem; sic etiam leprosus iste sic est ab illo inveterato morbo liberatus, ut sanato corpore acceperit & animæ salutem. Quare statuit, non jam sibi amplius cum religione patriæ Syrorumq. Diis esse futurum commune; novas dicebat Aras sibi esse excitandas, & alias longè immolandas esse victimas. Atq. adeò, cum impium putaret ac sordidum Syria pulverem, quem toties calcavisset pes Idololatriæ, & in quo immania Idolorum monstra jam pridem fuerant dominata, oravit ab Elisæo, sibi ut liceret ex terrâ Israelitide, quam putabat sacram, & electam à DEO quondam audierat, tantum in Syriam exportare secum, quantum duorum burdonum justum esset pondus, ut sibi videretur esse non in execrando Syrorum solo, aut in eo sacrificare, sed in religioso & sacro electi à Deo populi. Si Bellarmino de hoc Naeman postulato, quod ab Elisæo Prophetâ obtinuit, dicenda fuisset Sententia, sine omni dubio statuisset, Eum

II. Reg. 7.

Eum hanc terram, quam è regno Israel secum sumsit, imò non hanc solùm, sed & ipsas Jordanis aquas, per quas à leprâ fuit liberatus, adorasse, ac utrique Elemento Divinos exhibuisse honores, quorum tamen neutrum Textus habet, neque *Sanctius* etiam, Interpretum inter suos perspicacissimus, vidit vel agnovit, quidquid *Serario* & aliis videatur, qui non ineptum indè argumentum pro Crucis Dominicæ & reliquiarum de Sanctis cultu superstitioso & indebito deduci posse existimat, quos suis relinquimus thesauris à se quam-maximè æstimatis, Evangelicæ promissioni de vi & efficaciâ Crucis non lignæ firmiter & constanti fiduciâ inhærentes.

Sed jam plus ultra cum Bellarmino nobis est eundem, nimirum ab ipsâ Cruce Dominicâ, de cujus Inventione & veritate non exiguâ sunt dubitandi causæ, ad Imaginem Crucis ejusque cultum & venerationem, quam iterum non unius generis & speciei argumentis probatam dare studuit, & quidem in primam collocans aciem illud *Filii hominis signum*, quod in secundo ad Judicium adventu adpariturum ipse futurus Judex *Matth. 24* Christus prænuntiavit, quod *omnes ad unum* Veteres Ecclesiæ Doctores, adeoque & Augustinum, *exponere de Cruce*, aucter iterum pronuntiat Bellarminus, & de universo Patrum choro plus justo liberalis, & circa Augustini auctoritatem non omnino indubius, ad eum Sermonem provocans, qui & inter *Chrysostomi* Homilias exstat, & quem Augustini factum esse, non imprudenter adeo dubitatur; quamvis si & hic de neutro dubitarem, nulla iterum exindè pro Crucis adoratione adpareat ratio concludendi, nisi impertinentissima & quam-maximè inconsequens, præterquam quod ipso teste Bellarmino nondum omnino certum videtur, an ipsa Crux lignea, in quâ Christus Salvator Mundi pependit, & cujus tot in universo, quâ patet, orbe Papæ particulas, ad centum fortè cruces, ne quid amplius dicam, suffecturas, superstitiosi Stavolatæ ad cultum & quasi venum exponere solent, quæstum de Cruce per fraudem non adeo piam facientes; an verò saltem ejus imago in ære vel nubibus sit adparitura, pro cuius cultu Bellarminus hic arma cogit, quæ porò breviter, quantum Augustini auctoritas requirit, sunt examinanda. Et quidem ad *tertium* pro cultu hoc demonstrando argumentum, quod ab usu & testimoniis Veterum est delutum, duplici ex Augustini

Serm. 18.  
de Verb.  
Dom.

Scriptis utitur testimonio. Priori, quo testatus est Pater Sanctus, *Principes terrarum in Christum credentes prohibuisse aliquem nocentium crucifigi*, id quod Bellarminus ex Sozomeni auctoritate in primis Constantino verè Magno adtribuit, eumque in finem monet factum, *ut Crux non amplius horrore, sed amori & venerationi omnibus esset*. Sed, quæso, quæ iterum est consequentia? Constantinus cæterique Imperatores Christiani publico caverunt Decreto, ne deinceps Cruci adfigerentur facinorosi, idque in honorem Crucis Dominicæ; ergò ipsa Crux & Imago ejus adorari debet. Concurrunt, quotquot estis Logici Papistæ, etiam Mexicani, regulas consequentiarum & conclusionum Dialecticarum ritè docti, & an Bellarminus, bella, arma, minas contra quosvis sui temporis hæreticos maximo, quo potuit, impetu & studio movens, tractans, jaciens, nihilque omnino intentatum relinquens, fidei in Logicorum Scholis Doctore & Magistro sit usus, anque necessarius ad refellendas hæreses instrumentis adcesserit instructus, pro eâ, quâ polletis Ingenii dexteritate, in gratiam Veritatis judicate, & si potestis, vestrum in hoc Stadio discipulum juvate. Sed hac ope etiam indigebit Bellarminus, si & alterum Augustini testimonium ad debitum vocabimus examen. Ut enim Crucis Dominicæ Imaginem singulari cultu venerandam

Tract. 36.  
in Joh.

probet, inter alia Patrum testimonia hæc etiam Augustini verba laudat: *Quantum honorem tribuit supplicio suo, quid servat fidelibus suis?* Videtur Bellarminus iterum à minori ad majus voluisse ex his verbis pro cultu & adoratione Crucis concludere; cum tamen, si invertatur argumentum, æque majori ad minus fiat conclusio, contra Crucis adorationem valere possit. Si enim Christus Dei Filius suos fideles servos adorari multo minus eum ligno crucis ejusve Imagini exhibendum esse. Ita enim omnino oportet argumentari, si ad methodum disputandi Bellarminianæ ex his Augustini verbis aliquid concludendum est; ac frustra conatus est Bellarminus ex eis adorationè crucis elicere, quam potius exindè licet annihilare. Pari inconsequentia laborat, quæ pro crucis signo, sicut ex aliis Auctoribus, ita ex Augustino etiam depromsit Bellarminus. Quæ enim iterum consequentia? Sanguis Agni Patialis in postibus domorum significabat, Augustino teste, signum crucis in frontibus Christianorû; ergò crux vel lignû crucis adorari debet? Quæ itè est illatio, quæve ratio conclusionis? Scripsit Augustin. *Signû Crucis nisi adhibeatur* sive

de Catech.  
rudib.  
cap. 20.

*sive frontibus credentium, sive Aqua, quare generantur; sive oleo, quo chrismate inunguntur; sive sacrificio, quo aluntur, nihil eorum ritum perficitur.* Ergo secundum Augustini sententiam Crux vel Imago Crucis adoranda est? Non quidem nesciunt nec diffidentur Evangelici, fuisse prioribus Ecclesie Seculis propter honorem Cruci Dominice debitum Crucis Signum ejusque in aere formationem ad quasvis actiones profanas & facras in usu & consuetudine celeberrima. Luculentum ejus rei testimonium praebet Ter Tullio eloquentior & eruditior *Tertullianus*, post alias Christianorum suo tempore ceremonias & ritus hanc quoque Crucis signationem describens: *Ad omnem progressum atque promotum, ad omnem aditum & exitum, ad vestitum & calceatum, ad lavacra, ad mensas, ad lumina, ad cubilia, ad sedilia, quacumque nos Conversatio exercet, frontem Crucis signaculo terimus.* Et fuit hoc Signum Crucis distinctivum, quo tanquam exteriori etiam ritu Christiani à Gentilibus, tanquam Crucis Dominice hostibus & gravissimis persecutoribus distinguebantur, ut hoc etiam signo cognosci potuerint. Sed & illud simul certum est & indubium, fuisse hanc Crucis formationem apud antiquos Christianorum ex Instituto non Divino, sed humano. Hinc idem *Tertullianus* in proximè sequentibus: *Harum & aliarum hujusmodi Disciplinarum si legem ex postules Scripturarum, nullam invenies. Traditio tibi praetendetur auctrix, consuetudo confirmatrix, & fides obfirmatrix.* Ita enim haec legenda esse, *Rhenanus* post primam in posteriore operum *Tertulliani* Editione & auctiore & emendatiore agnoscit. Non verò dicam, id quod idem *Tertullianus* alibi memorat, idololatricam inter gentiles Imitationem, quoad hanc Crucis formationem, dum *initiatos Mythrae in frontibus signatos* dicit, quam signationem in Crucis figura factam fuisse, *Filescus* ex alio ejusdem *Tertulliani* loco probare conatur; cum idem Pater eloquentissimus testetur, *Diaboli partes esse Veritatem intervertendi, ut potè qui ipsas quoque res Sacramentorum Divinorum in Idolorum mysteriis emuletur.* Id autem noto, etiam si crucis Signum & signatio suam habere possit inter Christianos fideles usum, videlicet historicum & pie memorativum, sicut olim serpens aeneus in Eremo à Mose erectus Israelitis eorumque posteris fuit & esse debuit singulare Gravitatis pro insigni Beneficio monumentum, totius humani generis redemptionem per Serpentinae capitis contritorem Messiam typicè praefigurans; quia tamen huic Crucis Signo & formationi major debito honos & virtus justo amplior, per intolerabilem abulum & non sine reatu intervenientis Idololatriæ à Papæis hodie adscribitur, ægrius ferri non debet, si, quemadmodum supra aeneum Serpentem laudabili Instituto vidimus aboliturum & abrogatum, Evangelici ex libertate Christiana, Crucis Dominicæ merito partem, ad hunc signationis ritum, ut potè adia phorum, & in sacris Literis nullibi mandatum, nullo in super Apostolorum exemplo commendatum, cogi se & per vim injustam adigi non patiuntur, de cætero ipsius Dominicæ Crucis & Passionis estimatores, quantum hujus Vitæ imperfectio permittit, ex debito gratissimi, quin & Christi Antecessoris sui in Vitâ & Scholâ Crucis Sectatores & imitatores studiosissimi, verè *Staurophili*.

Nunc duo adhuc restant testimonia Augustini, quibus in resolutione objectionum contra Staurolatriam, ad demonstrandam Signi Crucis vim & efficaciam utitur Bellarminus. Prius ita habet: *Mirum non est, quod haec signa valent, cum à bonis adhibentur Christianis, quando etiam, cum usurpantur ab extraneis, qui omnino nomen suum ad istam non dederunt militiam, tamen propter honorem Imperatoris excellentissimi valent. Cum autem non cedunt his Signis hujusmodi potestates, Deus ipse modis occultis prohibet, cum id justum & utile judicat; nam nullo modo ulli Spiritus audent haec signa contemnere, contremiscunt haec, ubicumque illa prospexerint.* Quid de hoc Augusti Doctoris testimonio sit statuendum, integer docebit contextus. Agit in eâ Quaestione Sanctus Pater de miraculis, quæ Moses in Aegypto coram Pharaone fecerat, & quorum aliqua Magi fuerant imitati. Ut hujus rei causam indicet, inter alia hæc etiam observat: *Cum talia Magi faciunt, qualia nonnunquam Sancti, talia quidem visibiliter esse adparent, sed & diverso sine & diverso jure sunt. Illi enim faciunt, suam querentes Gloriam, illi autem Dei gloriam; & illi faciunt per quædam potestates concessas in ordine suo, quasi privata commercia vel Beneficia; isti autem publicâ administratione, jussu Ejus, cui cuncta creatura est subjecta. Aliter enim cogitur possessor equum dare militi, aliter eum tradit emtori, vel cuilibet donat aut commodat. Et quemadmodum plerique milites mali, quos Imperialis disciplina condemnat, Signi Imperatoris sui nonnullos possessores territant, & ab eis aliquid, quod publicè non*

Tract. 118  
in Joh.de Coronâ  
Milit.  
mox à  
princ.conf. Rit-  
rers. S.  
Lect. lib.  
V. cap. 14de Praeser-  
hæret.  
paulo an-  
te fin.Select.  
lib. II.  
Tract. 4.  
§. 15.lib. 83.  
Quæst.  
num. 79.

jube-

jubetur, extorquent; Ita nunquam mali Christiani, vel Schismatici vel heretici per nomen Christi, aut verba, aut Sacramenta Christiana, exegunt aliquid à potestatibus, quibus honori Christi cedere indictum est. Cum autem malis hominibus cedunt voluntate, ad seducendos homines cedunt, quorum errore latantur. Quapropter aliter Magi faciunt miracula, aliter boni Christiani, aliter mali. Magi per contractus privatos, boni Christiani per publicam Iustitiam, mali per signa publica Iustitia. Nec mirum est, quod hæc signa valent, cum ab eis adhibentur, id est, malis, de quibus ultimo dixit Augustinus, cum Bellarminus mentem augusti Doctoris aperte pervertens de bonis velit intellectum, contra verborum seriem & ipsam eorum structuram, nemini non Grammatices studio obviam & manifestam; quando etiam, cum usurpantur ab extraneis, qui omnino suum nomen ad istam militiam non dederunt, propter honorem tamen excellentissimi Imperatoris valent. Interferuntur hic aliqua ad argumenti illustrationem pertinentia, quæ tamen Bellarminus, ut in turbido felicius piscaretur, singulari studio omisit: Ex quibus fuit ille, de quo discipuli Domini nuntiaverunt, quod in nomine Ejus egeret demonia, quamvis cum eis Eum non sequeretur. Sequuntur jam, quæ Bellarminus adtexuit prioribus; Cum autem non cedunt his Signis hujusmodi potestates, Deus ipse prohibet occultis modis, cum id justum atque utile judicat; nam nullo modo ulli Spiritus audent hæc signa contemnerent contremiscunt enim, ubicunque illa prospexerint. Accedunt adhuc aliqua, quæ porro rem hanc uberius declarant: Sed nescientibus hominibus aliud jubetur Divinitus vel ad confundendos malos, cum eos oportet confundi sicut de Scève filiis in actibus Apostolorum legimus, quibus ait immundus Spiritus: Jesum scio & Paulum novi, vos autem qui estis: vel ad admonendos bonos, ut proficiant in Fide, atque ista non jactanter, sed utiliter possint, vel ad discernenda Ecclesiæ membrorum dona, sicut Apostolus ait: Numquid omnes habent virtutes, numquid omnes habent dona curationum? Nullibi in his Augustini verbis, neque etiam in antecedentibus & consequentibus, expressa signi Crucis, sed tantum in genere signorum, per quæ suo adhuc tempore homines ab obsessione Sathanicâ liberatos fuisse monuit Augustinus, facta est mentio, nec quasi alicujus doni in Ecclesiâ perpetui & ordinarii, adque omnes in universum Christianos fideles pertinentis, sed quod Paulus inter extraordinaria retulit, quæ hodiernum in Ecclesiâ vigere, nescio, an quis prudenter affirmare possit. Et tamen Bellarminus audacter huic testimonio instar Lemmatis præfixit, dicere in eo Sanctum Patrem, *indictum à Deo demonibus, ut cedant Cruci, tanquam summi Regis scepro, quomodo populi militibus cedunt, cum ab istis profertur signum Imperatoris.* Probatam videlicet voluit hæc ratione vim & virtutem signi Crucis Dæmonum terrificam, quem effectum tribus de causis eam habere statuit, nimirum, & ex adprehensione Dæmonis, & ex devotione hominis, & ex institutione DEI sive ex opere operato, Judicet Lector, an pertinenter ad hæc Augustinus fuerit laudatus testis?

Posterius Sancti Patris testimonium ideo fuit à Bellarmino productum, ut demonstraretur, id quod precibus explicitè petimus, idem peti implicitè per signum Crucis. Addit Bellarminus, nec posse nec debere negari, quin etiam aliqua Sanctitas accedat rebus, cum Cruce signantur; non quidem talis Sanctitas, quæ sit aliqua qualitas Physica, sed sanctitas in relatione consistens, qualis est clavorum, vestium, aliarumque rerum, quæ Christum aut sanctos tetigerunt, & qualis est eorum, qui tangunt reliquias Sanctorum. Subjungit porro hanc consequentiam: Si contactus reliquiarum sanctificat, cur non etiam contactus vexilli salutaris? Certè Augustinus id adserit, scribens: Catechumenos secundum quendam modum suum, per signum Christi & Orationem manus impositionis puro sanctificari; & quod accipiunt, quamvis non sit corpus Christi, sanctum est tamen. Si Bellarminum hic quoque mentem Sancti Patris non percepisse dicam, non præter rem erit aut meritum. Infrà iteratò sub examen occurret hoc testimonium. Nunc id solum noto contra Bellarminum, non agere hic Augustinum de signo Crucis lotitario, ejusque vi & efficacia, sed de signo Sacramentali, precibus juncto, & eo quidem in latiori significato, quod nimirum Catechumeni à Baptismi & Eucharistiæ Sacramento eorundemque participatione remoti in eorum vicem acceperunt. Et hæc de testimonio Augustini, quæ Bellarminus ad demonstrandam Crucis Dominicæ adorationem, vimque ejus & virtutem ostendendam produxit: Miror autem, Eum, dum inter figuras Crucis Dominicæ typicas in Vet. Test. exhibitas Virgam Moïsis quoque retulit, Augustini de typica hæc comparatione testimonium omisisse, quod in gratiam Lectoris huc exscribendum duxi: Virga Moïsis myste-

lib II. de  
peccat.  
merit. &  
remiss.  
cap. 26.

Serm. 6.  
de Temp.

mysterium Crucis præferbat. Sicut enim per virgam Ægyptus decem plagis percutitur, Serm. 86. de Temp. ita & per Crucem totus mundus humiliatur & vincitur. Et sicut Pharaó & populus ejus per Virgæ Sacramentum adfligitur, ut ad serviendum DEO dimittat populum Ebraeorum; ita & Diabolus & Angeli ejus per mysterium Crucis fatigantur & premuntur, ut à DEI servitio revocare non possint populum Christianum. Et post aliqua: Quod autem Virga in terram projecta in serpentem versa est, quid significet, videamus. Serpens pro sapientiâ reputatur, sicut Dominus in Evangelio inquit, Estote prudentes, sicut serpentes. Virgam diximus figurasse Crucem. Crux ergo, quæ infidelibus stultitia esse creditur, sicut Apostolus dicit, Gentilibus stultitia; posteaquam missa est in terram, id est, ad Passionem Domini præparata, in serpentem est versa, hoc est, in sapientiam, & in tantam Sapientiam, quæ omnem mundi istius sapientiam devoraret, denique omnes serpentes, quos Magi suis incantationibus fecerant, deglutivit. Per Virgam ergo Ægyptus flagellatur, & per Crucem mundus vincitur, & diabolus superatur. Hæc Ille Doctor augustissimus, quæ tamen non de Cruce ligneâ, aut ejus Imagine vel signo, sed de Evangelicâ prædicatione Crucis & Passionis Dominicæ, ejusque vi & virtute intelligenda esse, Lector attentus & à præjudiciis liber facilè perspiciat. Et hæcenus Evangelici cum Augustino sunt *Stavrophili*, nullo autem modo cum Papæis *Stavrolatræ*, qui sicut non immeritò detestantur insolentem *Vasquezii*, subtilissimi aliàs communi suorum judicio, hic verò crassissimi Disputatoris audaciam, statuentis & defendentis, res omnes etiam inanimas & irracionales ritè adorari posse, in *Vindiciis* etiam *Anti-Thomisticis D. Dorscheo* duce castigatam; ita multò minus suo adprobare calculo possunt *Lugonis* inauditam hæcenus novitatem, quæ scribere & fictis quibusdam è cerebro malè sano ratiunculis demonstrare satagit, Crucem mali *Latronis*, qui cum Christo fuit crucifixus, si nunc extaret, posse coli & adorari, sicut omnes aliæ Cruces, secluso etiam scandalo, si fortè aliquod esset apud ignaros & simplices; hanc in primis ob rationem, quia Crux illa non minus representaret Christi crucem, quàm aliæ, indecentia autem, quæ ex contactu *Latronis* habuit, non videatur talis & tanta, ut hunc venerationis titulum absorbeat. Ad quæ nunc nihil addo, nisi quod non ita pridem *Launojus*, *Sorbonista*, si quis alius, mentis apertissimæ, contra adsertiones quasdam è Theologia recentiori Scholasticorum defunctas, ex Augustino observandum monuit: *Philosophi liberis loquuntur verbis, nec in rebus ad intelligendum difficilissimam offensionem aurium religiosarum pertimescunt; nobis autem (Theologis Christianis) ad certam loqui fas est regulam, ne verborum licentia, etiam de rebus, quæ his significantur, impiam gignat opinionem.* de Incarn. Domin. in Adpend. p. 527. & seqq. Tom. V. Epist. 4. pag. 11.

## LIBRI TERTII

DE

## ECCLESIA TRIUMPHANTE,

CAPVT QVARTVM &amp; seqq.

DE

Templis Sanctorum.

PRætermisissis hic omnibus, quæ Bellarminus prolixissimè contra varios Templorum hostes adduxit; illo etiam mendacio non prolixè refutato, quo Bellarminus contra omnem veritatis speciem impudenter mentiri non erubuit, *Lutheranos reprehendere Tempia ad orandum destinata, & quod certo consecrentur ritu, magnisque Summibus ornentur*, de quo etiam in citatis modo *Vindiciis Evangelico-Thomisticis* breviter actum; id ante omnia hic in controversiam & quæstionem venit, *An Tempia ad propriè sacrificandum & in honorem Sanctorum sint exstruenda?* De priori infra agetur, ubi Missæ Sacrificium sub examen vocabitur. Contra posterius ipse Bellarminus sequentia ex Augustino protulit testimonia. Primum hoc est: *Si Ariani apertissimè legerent in sanctis Scripturis, Salomonem Regem lignis & lapidibus jussu Dei Templum struxisse Spiritui Sancto, Deum esse Spiritum Sanctum dubitare non possent, cui tanta religionis servitius, quæ*

LI

Latria



Latria dicitur, legitime exhiberetur in populo Dei, ut illi etiam fabricaretur Templum, cum Dominus dicat, Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli servies. Et cum negare audent Deum, qui non ligna & lapides, sed membra Christi habet Templum. Manifestum exinde satis est, Augustinum statuisse, Tempia in honorem solius DEI esse extruenda, & non in honorem ullius creaturæ. Secundum id apertius declarat Testimonium,

lib 8. de  
Civ. Dei,  
c. ult.

quod & supra jam non semel habuimus, ubi Sanctus Pater nomine Christianorum sui temporis sequentem de hæc re edidit Confessionem: Nos Martyribus, Tempia, Sacerdotia, sacra & sacrificia non constituimus, quoniam non ipsi, sed Deus eorum nobis est Deus. Quis audivit aliquando stantem fidelium Sacerdotem ad Altare, etiam super sanctum corpus Martyris ad DEI honorem cultumque constructum, dicere in precibus: Offero tibi sacrificium Petre, vel Paule, vel Cypriane; cum apud Eorum memorias offeratur Deo, qui eos & homines & Martyres fecit, & sanctis suis Angelis celesti honore sociavit, ut ea celebritate & Deo Vero de illorum victoriis gratias agamus, & nos ad imitationem illorum coronarum atque Palmaram, eodem invocato, in auxilium ex memoria eorum renovatione adhortemur.

lib 1. contra Maxim.  
circa med.

Tertium cum primo ferè convenit, & ita habet: Nonne, si Templum sancto alicui Angelo (eique) excellentissimo de lignis & lapidibus faceremus, anathematizaremur à Veritate Christi & ab Ecclesiâ Dei; quoniam creatura exhiberemus eam servitutem, qua uni tantum debetur Deo? Bellarminus quidem Erasmo hanc adtribuit Glossam marginalem: Hoc nunc fit quibuslibet Divis. Sed eadem legitur in Editione Parisiensi ante hoc Seculum publicatâ, vix inventura locum, nisi Experientia nimis oculata eam confirmaret. Et notandum venit, fuisse unicum hoc Augustini testimonium sufficiens visum Blondello, autoritatibus Patrum alias instructissimo Scriptori, & Papatûs inque eo Primatûs oppugnatore felicissimo, quo demonstraretur, Inauditam fuisse Augustini tempore Templorum ulli sancto vel homini vel Angelo Dicationem.

in Apol.  
pro Hier.  
P. 282.

Ut autem mens augustissimi Doctore amplius pateat, lubet præter tria hæc Bellarmino laudata etiam alia ex Eodem videre testimonia, Dicationem Templorum sanctis vel hominibus vel Angelis factam infirmitas & improbantia: Primum est:

lib. 3. de  
Civ. Dei,  
cap. 27.

Si Templo, si Sacerdote, si sacrificio, quod Vero debetur Deo, colatur aliquod Elementum mundi, vel creatus aliquis Spiritus, etiamsi non immundus & malus, non ideo est malum, quia illa sunt mala, quibus colitur, sed quia illa sunt talia, quibus solus ille sit colendus, cui talis cultus servitusque debetur. Secundum est ex eodem opere de Civitate DEI, huic

lib. 22.  
cap. 10.

per omnia parallelum: Nos Martyribus nostris non Tempia sicut Diis, sed Memorias, sicut hominibus mortuis, quorum spiritus vivunt apud Deum, fabricamus; nec ibi Altaria erigimus, in quibus sacrificemus Martyribus, sed uni Deo & Martyrum & nostro sacrificium immolamus, ad quod sacrificium sicut homines Dei, qui Mundum in Eius confessione vicerunt, suo ordine & loco nominantur, non tamen à Sacerdote, qui sacrificat, invocantur, Deo quippe, non ipsis sacrificat, quamvis in memoriâ Eorum sacrificet, quia DEI Sacerdos est, non illorum. Tertium quoque supra jam fuit laudatum, hic tamen omni-

de Verâ  
relig. cap.  
ult.

nò cum cæteris repetendum: Honoramus Angelos charitate, non servitute, nec eis Tempia construimus, nolunt enim se sic honorari à nobis, quia vos ipsos, cum boni sumus, summi DEI Tempia esse noverunt. Hæc omnia Augustinus, quibus nescio an magis improbare potuerit & detestari Dicationem Templorum sanctis vel Martyribus vel Angelis factam vel faciendam. Et tamen Bellarminus his non obstantibus, suam de hæc Controversiâ propositionem, sacras domus non DEO solum, sed Sanctis etiam rectè adificari & dedicari, inter alia Augustini etiam consensu confirmare est annisus, ad eaprovocans loca, in quibus Basilicæ, loca & Memoriarum Apostolorum & Martyrum nominantur, ut exempl. gr. Basilica Felicis Confessoris in specie, in genere autem loca

de curâ  
pro mort.  
cap. 11. 1.  
de Civ.

Dei, cap. 1  
lib 20. cõ-  
tra Faust.

cap. 21.  
lib. 8. de  
Civ. Dei,  
cap. 26.

Martyrum & Basilicæ Apostolorum. Quorum pertinere etiam putat Bellarminus, quod idem Sanctus Pater alibi nomine Christianorum contra accusationem Manichæorum ita legitur scripsisse: Populus Christianus memorias Martyrum religiosâ solennitate concelebrat. Et contra Hermetem Trismegistum, cujus in proximè antecedentibus ex Eodem augustissimo Doctore facta est mentio: Hoc videtur dolere, quod memorie Martyrum nostrorum Templis eorum delubrisque succederent. Sed responsum ipse suppeditat Bellarminus, dum ad testimonia contra Dicationes Templorum Sanctis factas, duas producit solutiones. Priorem dicit esse quorundam recentiorum, de quibus inquit, quod quia non distinguant inter Templum & Basilicam, existimant, sacras ades non posse erigi propriè, nisi DEO, quemadmodum sacrificia non nisi DEO offerantur, quia tamen plurima sint Tempia, quæ Deo dicantur, ut possint inter se aliquo

aliquo distingui modo, à Sanctis denominari, non quod eis erigantur, sed quod in illis præcipuè Templis eorum Memoriam colantur, & ipsi illis in locis invocentur Patroni. *Hanc solutionem uberius ita explicat Bellarminus*: Quando igitur legunt in veteribus, vel audiunt in communi sermone vocari Templum vel Basilicam S. Petri, vel Pauli, vel aliorum, dicunt, hoc exponi debere modo: Hæc Basilica vel Templum est S. Petri, id est, Templum DEO dicatum in memoriam & nomen S. Petri, vel dicatum est DEO, ut ibi oretur Deus per intercessionem S. Petri, quemadmodum Missa quædam dicitur S. Petri, non quod ipsum obferatur Petro sacrificium, sed quod obferatur Deo in gratiarum actionem pro gloria S. Petro collata, & simul Petrus interpelletur tanquam Patronus & Advocatus apud Deum. *Addit suum de hæc solutione iudicium Bellarminus*: Hæc sanè pia est Expositio & conformis ritui Ecclesiæ, qui servatur in consecratione Templorum. Nam aliquoties Pontifex in eâ ceremoniâ, dum fundit preces, dicit, se Templum consecrare in honorem Dei & nomen talis vel talis Sancti. *De posteriori hæc habet*: Altera solutio admittit, sacras domos ipsis Sanctis verè & propriè ædificari, non tamen sub ratione Templi, sed Basilicæ vel Memoriam. Est enim observandum, secundum veterum Patrum doctrinam, Templum & Basilicam non esse synonyma; & licet de eadem domo sæpè dicantur, tamen sub diversissimis dici rationibus. Nam sacra ædes propriè Templum dicitur, quatenus erigitur ad sacrificia. Eadem sacra ædes dicitur Basilica, quatenus erigitur ad ornatum sepulchri alicujus Sancti, & commoditatem visitantium ejusmodi reliquias; Basilica enim non dicit relationem ad sacrificia, nam Palatia Regum dicuntur etiam Basilicæ, imò propriè dicuntur Basilicæ, & indè nomen est translatum ad ædes Martyrum significandas, quod etiam videmus in Altaribus. Nam unus & idem lapis dicitur Altare, quatenus in eo sacrificatur DEO, & idem dicitur tumulus vel Sepulchrum, quatenus tegit ossa Martyris alicujus; omnia enim Altaria sunt sanctorum sepulchra. Et sicut lapis ille dicitur verè sancto, non sub ratione Templi, sed sub ratione Basilicæ: Et quemadmodum Idololatria esset erigere Sanctis altaria, & tamen non est Idololatria, lapideos illis tumulos erigere; ita Idololatria esset, erigere sanctis Tempia, sub ratione Templi, non tamen Idololatria est, illis erigere Basilicæ: Sicut etiam non est Idololatria, Sanctis aureas vel argenteas donare thecas, quibus includantur reliquiæ eorum; nihil enim aliud sunt Basilicæ, quàm magnæ quædam thecæ, quibus thecæ minores & ipsa includuntur sepulchra. Ex quibus sequitur, aliter dici Missam S. Petri, aliter Basilicam S. Petri. Nam Missa nullo modo obfertur S. Petro, nec primariò, nec secundariò; at Basilica verè ædificatur S. Petro, si non primariò, saltem secundariò. *Et hoc discrimen inter Templum & Basilicam probare studet Bellarminus ex ipsis Augustini testimoniis*, quæ contra Dedicationem Templorum sanctis faciendam fuere adducta, undè simul responsum, ut dixi, suppeditatur, ad ea, in quibus Basilica loca, & Memoriam Apostolorum & Martyrum in genere & in specie, vel potius in Individuo nominantur. Et si enim in utroque responso multa immisceantur examen requirentia, & aliquatenus emendanda per eorum observationem, quæ Samuel Peritus, & Baptista Casalius, in Vindiciis *Anti-Thomisticis* laudati, quoad Templorum, Memoriarum & Basilicarum differentiam magis accuratè ex Antiquorum documentis fide dignis collegerunt; non tamen hic quoque desunt, quæ diligens Lector indè potest eruere, contra Dedicationem Templorum & Ecclesiarum Sanctis faciendam inservientia. *Posteriora duo quod attinet loca, quibus ad suæ Propositionis confirmationem usus insuper est Bellarminus, in sequentibus verbis à Bellarmino omittis responsum ad objectionem indè desumptam quasi post se trahunt, & ferè eodem tenore, quo ipse Bellarminus in proximè citatis respondere nos docuit*. Nihil enim ibi de Templis, de quibus in specie hic controversitur, sed saltem de Memoriam Martyrum habetur. Ita ubi contra Faustum scribit, *Populus Christianus memoriam Martyrum religiosè solennitate concelebrat*, id quod hodiernum Evangelici facere non negligunt; finem hujus religiosæ pro Martyrum memoriâ solennitatis subjungit, fieri id nimirum & ad excitandam Imitationem, & ut meritis eorum consocietur atque orationibus adjuvetur, ita tamen, ut nulli Martyrum, sed ipsi Martyrum DEO, quamvis in memoriam Martyrum, constituamus Altaria, multò minùs Templum. *Quis enim Antistitum in locis Sanctorum corporum assistens Altari aliquando dixit, offerimus tibi Petre, aut Paule, aut Cypriane; sed quod offertur, Deo offertur, qui Martyres coronavit, apud Memoriam eorum, quos coronavit, ut ex ipsorum locorum admonitione major affectus exurgat ad*

acuendam Charitatem, & in illos, quos imitari poſſumus, & in illum, quo adjuvante poſſumus. Cætera, quæ ibi ſequuntur, ſuprà, ubi de ipſo Sanctorum cultu fuit actum, prolixè ſunt exſcripta, inde huc ad præſentem Controverſiam repetenda; cum, quæ de Altaribus habet Sanctus Pater, in honorem non Martyrum, ſed DEI exſtruentis, multò magis intelligenda ſint de Templis. Similem ferè in modum, dum auguſtus Doctor de Hermete Trimegiſto ſcribit, *videtur dolere, quod Martyrum noſtrorum memoria Templis eorum delubriſque ſuccederent*, non id vult, quaſi verè id Chriſtianiſ Hermes objiciat, ſed in proximè ſequentibus falſitatem, quin & ſcopum hujus à Hermete objectionis indicat, factum id ab Eo, *ut, qui hæc legunt, animo à nobis averſo atque perverſo putent, à Paganis Deos fuiſſe cultos in Templis, à nobis autem coli mortuos in Sepulchris.* Et ſicut Paganorum cultum ſuis Deaſtris exhibitum ſequentibus verbis eludit: *Tantà homines impii cæcitate in montes quodam modo offendunt, reſque oculos ſuos ferentes nolunt videre, ut non attendant, in omnibus literis Paganorum aut non inveniri, aut vix inveniri Deos, qui non homines fuerint, omnibus tamen honores ſtudeant exhibere Divinos, quaſi nihil unquam humanitatis habuerint:* Ita pro Chriſtianorum cauſa graviter ſcribit: *Nec tamen nos iſdem Martyribus Tempa, Sacerdotia, ſacra & ſacrificia conſtituimus, quoniam non ipſi, ſed Deus eorum nobis eſt Deus:* Quod teſtimonium ſuprà Bellarminus ipſe ſuppediravit, nec quod ſufficienter reſponderet, habuit. Manet, Auguſtini Seculo nulla Sanctis Tempa à Chriſtianiſ fuiſſe exſtructa, præter Martyrum memorias, quas à Templis, ipſe iterum Bellarminus diſtinxit.

## CAPVT SEPTIMVM

DE

*Benedictionibus Aquæ, Salis &c.*

Epift. 119.  
ad Jan.  
cap. 18.

Circa benedictionem luſtralis Aquæ probandam Bellarminus præter alia ad Auguſtini etiam provocat teſtimonia, & inſuper ad illud ex Auguſtino reſpondet teſtimonium, quod huic benedictioni ſuperſtitioſa videtur eſſe contrarium. Ita autem hanc ex Auguſtino proponit objectionem: *Auguſtinus dicit, Chriſtianos omiſſiſſe ceremoniam lavandi pedes in die Cæna Domini, ne videretur ea lotio ad Sacramentum Baptiſmi pertinere. Quare maniſeſtum eſt, nullam eo tempore in Eccleſiâ lotionem fuiſſe religioſam excepto Baptiſmo.* Reſpondet Bellarminus, *Auguſtinum non damnare ceremoniam lavandorum pedum, ſed recenſere ſolum varias opiniones; nec dicere Auguſtinum, ullos fuiſſe, quibus ſimpliciter ceremonia lotionis pedum diſpliceret, ſed ſolum fuiſſe aliquos, quibus diſpliceret, lavari pedes Catechumenis in die Cæna Domini, ne videretur illa lotio ad Baptiſmum neceſſaria; imò ibidem dicere, multis placuiſſe, differendam lotionem in octavam Paſche diem.* Aliquid Bellarminus, non omnia dixit. Quin nec verè etiam ſcripſit, nullos apud Auguſtinum fuiſſe, quibus ſimpliciter ceremonia lotionis pedum diſpliceret; cum expreſſè ibi legatur, *Ne ad ipſum Baptiſmi Sacramentum videretur pertinere, multi hoc in conſuetudinem recipere noluerunt, nonnulli etiam de conſuetudine auferre non dubitarunt.* Accedit Bellarminum aut non attendiſſe, aut attendere non voluiſſe, quorſum hujus teſtimonii citatio in primis pertineat; nimirum ut oſtendatur, ſi ceremonia lavationis pedum exemplo Chriſti commendata tempore Auguſtini à plerisque aut non neceſſaria æſtimata, aut non ad certum tempus fuerit reſtricta, ne quid Sacramento Baptiſmi decedere videretur; multò minus Aquæ luſtralis benedictioni delatum fuiſſe credi debere, ut potè quæ nullo Chriſti exemplo aut inſtituto Apoſtolorum niteretur, nullaque ejus in Auguſtini Scriptis legeretur mentio. Bellarminus quidem pro hujus commendatione ad *innumerabilia* Veterum, quæ eſt liberalitate, provocat teſtimonia, interque ea varii generis & ſpeciei ad tria ex Auguſtini Scriptis deſumpta, quæ tamen nihil aliud, quam Aquæ Baptiſmalis, non quæ ad ſingularem differentiam luſtralis dicitur, benedictionem exhibent, ut ipſa locotum inſpectio docebit. In primo certè id habetur expreſſè, ubi ſequentia leguntur: *Baptiſmus, id eſt, ſalutis aqua, non eſt ſalutis, niſi in nomine Chriſti conſecrata, qui pro nobis Sanguinem fudit, Cruce ipſius aqua ſignetur.* In ſecundo autem hæc: *Crucis Myſterio fons regenerationis conſecratur; ejuſdem ſigno per manûs impoſitionem baptizati dona gratiarum accipiunt. Cum ejuſdem crucis caractere Baſilicæ dedicantur, Altaria conſecrantur, Altaris Sacramenta cum interpoſitione verborum Dominicorum conſiciuntur, Sacerdos & Levita per hoc*

Homil. 27  
ex 50. Ho.  
mil.  
Homil.  
19. de  
Sanct.

hoc idem ad Sacros ordines promoventur, & universaliter omnia Sacramenta Ecclesiastica in hujus virtute perficiuntur. In tertio extat: *Nulla iniquitas est impunita, nisi quam Sanguis expiaverit Mediatoris, cujus Crucis signo consecratur unda Baptismatis, ut eâ deluatur reatus tanquam in Chirographo scriptus.* Manifestum est ex his, agere Augustinum de Benedictione Baptismalis aquæ, olim per Crucis Signum factâ; & tamen audet Bellarminus hæc loca citare, quasi Augustinus in eis dixerit, *Aquam lustratam*, de hac enim est controversia, *Signo Crucis in Ecclesiâ esse consecratam.* Neque sincerius agit, ubi benedictionem olei & panis extra Eucharistiam ostendere ex Augustino laborat. Et de Benedictione quidem olei testimonium ante, ubi de Crucis signo actum fuit, vidimus his verbis: *Signum Crucis nisi adhibeatur sive frontibus credentium, sive ipsi aquæ, quæ regenerantur, sive oleo, quo chrismate ununtur; sive sacrificio, quo aluntur, nihil eorum ritè perficitur.* Mentio quidem hic fit Benedictionis olei per Crucis signum faciendæ ad chrismationem baptizatorum, sed non tanquam peculiare & separatum à Baptismo Sacramentum, verum quasi peculiarem ad Sacramentum Baptismi pertinentem circumstantiam, de quâ suo infra loco ex professo contra Bellarminum & alios recentiores ageretur. Testimonium de panis extra Eucharistiam benedictione itidem paulò ante habuimus, tamen & hic iteratò reponendum, ut fraus Bellarmini eò manifestior adpareat. Ita autem scribit Sanctus Pater: *Catechumenos secundum quendam modum suum per signum Christi & orationem manû impositionis puto sanctificari, & quod accipiunt, quamvis non sit corpus Christi, sanctum est tamen & sanctius, quam cibi, quibus alimur, quoniam Sacramentum est.* Vidimus, ut dixi, ante, Augustinum hic loqui de signo quodam Sacramentali ad Catechumenos ante participationem Corporis & Sanguinis Domini in Eucharistiæ Sacramento per illius tum Status rationem pertinente, quod ad tempus aliquod, donec baptizarentur, & per susceptionem Baptismi in numero fidelium haberentur, instar ipsius Sacramenti Eucharistiæ fuit, & quo Catechumenos in illo statu contentos esse oportuit: Bellarminus autem id Signum supra de eâ Crucis signatione intellexit, cui singularem ex opere operantis partim, partim ex opere operatò virtutem adscripsit, à Cellotio, suæ Societatis homine refutatus. Hic verò ad benedictionem Panis extra Eucharistiam refert, quem tamen ipse Augustinus à communi cibo & pane, tanquam sanctum & hoc sanctiorem separat, imò Sacramentum, sentu quam vis latiore, nominat.

lib. 6. contra Juli-  
an. cap. 8.

Tract. 118  
in Johan.

lib. II. de  
peccat.  
merit. &  
remiss.  
cap. 26.

## CAPVT OCTAVUM,

DE

## Peregrinationibus.

Revis hic est Bellarminus, ideò & paucis hic dimittendus; unus enim tantum est locus Augustini, quem ad Peregrinationum, ut vocant, sacrarum commendationem citat, non omninò prætermittendus. Exhibet is exemplum duorum, quorum alter alterum nefarii criminis accusarat, & quos Augustinus tandem, tentatis omnibus mediis, quibus innocentiam & veritatem rei putavit manifestam posse fieri, sed frustra & in vanum, cum aliud amplius nõ esset super, ex illius Seculi receptâ jam consuetudine, quam omninò mutare aut abrogare, in Ejus non fuit potestate, eò adiecit *ut certo placito se ambo constringerent*, (fortè, obstringerent) *ad locum Sanctum se peregrinaturos, ubi mirabilia DEI opera non sanam cujusque Conscientiam multò facilius aperirent, & ad confessionem vel penam, vel timore compellerent, quæ ipsa Augustini sunt verba, quibus sequentem cum responso adjicit objectionem: Vbiq; quidem Deus est, & nullo continetur vel includitur loco, qui condidit omnia: & Eum à veris adoratoribus in Spiritu & Veritate oportet adorari, ut in occulto exaudiens, in occulto etiam justificet & coronet. Veruntamen ad ista, quæ hominibus visibilibus nota sunt, quis consilium Ejus potest perscrutari, quare in aliis locis hæc Miracula fiant, in aliis non fiant?* Est hoc exemplum speciale, ad receptam illius Seculi consuetudinem, ut dixi, referendum, quo cum si conferantur Exempla peregrinationum, quæ hodiè numero ferè in numero, ad varia jactatæ Sanctitatis Elogio celebratiora hic & ibi loca, non sine plurimâ superstitione, ut alios abusus detestandos inque publico notos non prolixè urgeant, solent fieri; magna in plerisq; circumstantiis adparebit diversitas, & tanta quidem, ut si Augustinus hodiè peregrinantium mores, studia, scopum præprimis & finem, qui hic ante omnia debet attendi, accuratius & coram

Epist. 137.  
ad Clericum  
&c.

Serm. 47  
de Sanct.

intueretur, adeo non probaret vel quenquam ad id faciendum hortaretur, ut potius omni conatu reprobaret, ac quosvis fideles ab inutili non solum, sed simul etiam noxiâ re dehortaretur, hocque peregrinandi studium manibus pedibusque impediret. Ut enim ita de Augustino sentiamus, facit, quod alibi de peregrinationibus hinc tanquam minus necessarius hæc scripsisse vel dixisse legitur: *Non dixit Dominus ad te, vade in Orientem, & quare Iustitiam; naviga usque ad Occidentem, ut accipias indulgentiam. Dimitte inimico tuo, & dimittetur tibi; indulge, & indulgebatur tibi; da, & dabitur tibi. Nihilâ te extrate querit DEUS; ad teipsum & tuam te conscientiam dirigit, in te posuit, quod requirit. Non enim medicamenta vulneribus tuis longè opus habes inquirere: Peccatorum tuorum indulgentiam si vis, intus in cellario cordis tui poteris invenire.* Stalenus quidem in suo *Peregrino ad loca Sancta orthodoxo* sive *Vindiciis sacrarum Peregrinationum* &c. ad hoc Augustini testimonium & similes Chrylostomi & Bernhaldi Sententias responderet, eas nihil aliud velle, quam remissionem peccatorum à loco non dependere, sed ubique Divino nutu & Gratiâ obtineri posse; & hoc Papistas non diffiteri, neque peregrinationes sacro medium Salutis simpliciter necessarium, quod tamen sit conveniens & admodum utile & patrocinale. Sed si remissio peccatorum à loco non dependet, Gratiâ DEI ubique penitentibus obviâ; si peregrinationes hæc ad impetrandam Salutem non sunt necessariae, neque medii, neque præcepti, neque etiam Exempli in factis commendati ratione; cur ergo miseri homines, solâ simplicitate & nimia credulitate, verius autem intolerantâ Superstitione à suis commendati, tantis cum sumptibus, periculis, ambiguitatibus, fastidiis, nullo planè cum fructu, si non ut plurimum maximo cum animæ corporisque damno, ut de multorum scandalo & hic nihil dicam, huc & illuc ad loca, quæ dicuntur præ aliis Sancta, cur non lacerrima? ducuntur vel potius seducuntur, & per impostæ latifactionis vel satis-passionis indebitum & immoderatum rigorem, sub obtinendæ singularis Indulgentiæ & Divini favoris prætextu inani, jubentur & coguntur ire? Esse hoc conveniens, admodum utile & patrocinale, ut Staleno Peregrinationum patrono scribere visum est, Evangelicis nunquam persuadebitur, quibus non immeritò res hæc ad illud pertinere jugum videtur, sub quo non pauci multis cum lamentis gemunt, imò humanâ ope & Gratiâ destituti, inter peregrinandum, cursu non absoluto, solatio Indulgentiæ non impetrato, peccatorum onere, quorum remissionem non acceperunt, gravati, pœnas eorum ideò mente præsentientes, miserimè æternumque pereunt, nisi ineffabilis Gratiâ DEI eis inter hæc pericula succurrat, eamque posthabitis humanarum traditionum stipulis Fide quamvis infirmâ, modò verâ, Spiritu Sancto intus operante, amplectantur. Ne autem his molestiis & periculis objiciantur veri fideles, Augustinus alibi cavit, notanter scribens: *Veni ad Christum, noli longa meditari itinera. Vbi credis, ibi venis. Ad illum enim, qui ubique est, amando venit, non navigando. Sed quoniam in tali etiam itinere fluctus & diversarum tentationum tempestates abundant, in crucifixum crede, ut Fides tua lignum possit ascendere. Non mergeris, sed ligno portaberis.*

Serm. II.  
de verb.  
Apost.

## CAPVT NONVM,

DE

*Votiâ ad Sanctos.*

**E**Thic unicum ex Augustino testimonium erit vindicandum, quanquam non ipsius Augustini, sed Antagonistæ verba exhibens, contra cujus accusationes Sanctus Pater orthodoxam Veritatem defendit. Agnovit id ipse Bellarminus, undè hoc testimonium non retulit inter cæterorum Patrum loca, quibus hæc ad Sanctos Vota confirmare est annisus, sed tanquam adversarii testimonium laudavit, scribens: *Falsus Manicheus apud Augustinum dicit, Idola vertistis in Martyres, quos Votiâ similibus colistis.* Addit Bellarminus, ex quo *Falsi testimonio discimus, usitatissimum in primitivis fuisse Ecclesiâ, ut Martyribus vota fierent.* At plus in conclusione Bellarminum, quam in præmissis habere, & per se manifestum est, & mox uberius declarabitur. Quis enim, quæso, ab accusatione adversarii ad rei vel accusationis veritatem docuit concludere? Si accusasse sufficiat, quis hominum inter homines erit & manebit innocens? Certè non nisi pessimè cum antecedentium Seculorum fidelibus Christianis fuisset actum, si eorum omnium sustinere debuissent culpam, quorum causâ à juratis hosti-

hostibus coram Romanis Imperatoribus, tam quoad doctrinæ, quàm Vitæ genus fuere accusati, & non minus calumniarum, quàm persecutionum ventis pressi, nunquam tamen ita oppressi, ut non & inter has plurimi per DEI gratiam conservarentur, & ab his se gravibus Apologiis liberarent, publicè suam orbi testantes Innocentiam. Et quid hodiè de Evangelicorum doctrinâ fiet, si ex Adversariorum Scriptis iudicium de eâ sit faciendum, cui tot opinionum monstra solent adfingi, ut nisi dudum sibi injuriam fieri, suamque ostendissent orthodoxiam, indigni omninò essent, quibus non dicam inter Christianos, sed inter homines aliquis concederetur locus. Sed benè est, quod, et si semper aliquid hæere audacter calumniantibus videatur, semper tamen DEI gratiâ super aliqui sint, in quorum oculos & hostium malitia incurrit & accusatorum innocentia, unde non parum Solatii ad hos devenire solet, Experimentiâ omnium rerum magistrâ comprobante, bonam tandem Bono cum DEO causam contra iniquos calumniatores triumphare, hisque notam infamiæ & levitatis ex debito iniuri. Verùm ad rem & Augustinum, ipsamque de Votis ad Sanctos doctrinam, qualis nimirum Augustini tempore fuerit. Juvat autem Illius accusationis, cujus aliquam partem Bellarminus pro Instituti ratione excerptit, integrum systema huc exscribere, ut responsum sit eò facilius. Ita verò eam exhibet ex ore Fausti Augustinus: *Vos desciscetes à gentibus Monarchiæ opinionem primò vobiscum divulsistis, id est, ut omnia credatis ex DEO; Sacrificia verò eorum mutastis in Agapos, Idola in Martyres, quos votis similibus colitis; defunctorum umbras Vino placatis & dapibus, solennes gentium dies cum ipsis, ut Calendas & Solstitia celebratis. De vitâ certè mutastis nihil. Estis sanè schisma, à Matrice suâ divulsus; nihil habens, nisi conventum.* Sequetur autem ex his juxta rationem concludendi Bellarminianam, Christianos fideles Augustini tempore non solùm Martyres Votis, qualibus Ethnici sua coluerunt Idola, & sub Idolis Deafros, coluisse, sed & defunctorum umbras itidem pro more Gentilium ad sepulchra Vino & dapibus placasse, imò ad Imitationem eorum Solennitates & Festa, Calendarum inprimis & Solstitiorum, celebrasse, quod tamen ex Augustini ac cœvorum Ecclesiæ Doctorum Scriptis nunquam demonstrabitur. Ut autem, cæteris accusationum partibus prætermittis, utpotè ad hoc propositum impertinentibus, de Votis ad Sanctos in specie nunc agamus, ob quæ Faustus apud Augustinum Christianos accusavit, non sine responso & Apologiâ dimissus, quam dum Bellarminus non attendit, huc omninò opus est adscribere, quantum ad rem ipsam erit necessarium, ut & falsitas accusationis Faustianæ, & inanitas illationis Bellarminianæ Luci exponatur. Ita autem post aliquot capita Doctor augustissimus: *Quod etiam hinc nobis calumniatur* cap. 21. *Faustus, quod Martyrum memorias honoramus, dicens, in hoc idola nos convertisse, non tam me movet, ut huic respondeam calumnia, quam ut ipsum Faustum studio calumniandi ab ipsius etiam Manichæi vanitatibus exorbitare voluisse, & in vulgarem atque poeticam Paganorum opinionem, à quibus se alienissimum cupit videri, nescio, quo modo incautum incidisse ostendam.* Hoc ubi exposuisset Sanctus Pater, (quâ vi consequentiæ, ad præsens Examen non pertinet) ea subjungit, quæ supra jam habuimus, ubi de Templis Sanctorum vel Sanctis dedicatorum ex occasione actum est, in quibus ne verbulo Votorum ad Sanctos facta est mentio, quo ipsemet accusatio Faustiana & illatio Bellarminiana, tanquam omni carens fundamento abijt in fumum, Votificibus Papistarum hodiernis Augustini consensu destitutis.

lib. 20.  
contra  
Faust.  
cap. 4.

## CAPVT DECIMVM

DE

Diebus Festis,

EX numero quatuor Propositionum, quas Bellarminus ad hujus argumenti illustrationem adduxit, ultima tantùm breviter venit examinanda, his constans verbis: *Non tenemur diebus Festis ex præcepto peculiari ad non peccandum, sive ad actum contritionis vel dilectionis DEI.* Quis scopus hujus Propositionis à Bellarmino factæ fuerit, non ita facilè licet divinare, nisi quod videatur præcludere Bellarminus voluisse illi doctrinæ morali, quæ utramque hodiè paginam in Scriptis Theologorum partis adversariæ, non sine domesticorum, nedum aliorum scandalo, solet obtinere. Ad quid enim requiritur præceptum peculiare ad non peccandum sive ad actum dilectionis DEI, dies

LI 4

in spe-

in specie Festos respiciens, cum generale præceptum ad omnia in universum tempora sufficiens esse debeat, nulloque non tempore homo ad non peccandum adque dilectionem Dei sit obligatus? Non ergo opus fuit, ut in defectu præcepti peculiaris hæc fieret Propositio, quæ nihil aliud, quàm Conscientiæ laxitatem indebitam post se trahit. Quamvis, si æquâ lance rem hanc totam ponderaverimus, Lex Sabbathi in specie, in cuius locum dies Dominica successit, non destituatur peculiari præcepto ad non peccandum, adque dilectionem DEI. Si enim Dies hæc debet sanctificari, id est, sancta haberi, quod nihil aliud significat, quàm DEI cultu consumi, ad DEI dilectionem omninò id pertinere, manifestum est. Si porò homines hoc die à servilibus expressâ Lege prohibentur operibus, annon multò magis opera peccati esse prohibita credendum est. Agnovit id Doctor noster augustissimus, peculiare hoc præceptum ad non peccandum in Lege Sabbathicâ ostendens, dum de differenti inter Judæos & Christianos observatione Sabbathi ita scripsit: *Judæi serviliter observabant diem Sabbathi, ad luxuriam, ad ebrietatem. Quanto melius femina eorum facerent lanam, quàm illo die in Neomeniis saltarent? Absit, fratres, ut illos dicamus observare Sabbathum. Spiritualiter observat Sabbathum Christianus, abstinens ab opere servili. Quid est, ab opere servile? à peccato. Et undè probamus? Dominum interroga, omnis, qui facit peccatum, servus est peccati. Ergo & nobis spiritualiter observatio Sabbathi præcipitur. Similem ferè in modum alibi: Observa diem Sabbathi, non carnaliter, non Iudaicis delitiis, qui otio abutuntur ad nequitiam. Melius est enim utique, si totâ die foderent, quàm totâ die saltarent. Sed tu cogitans requiem in Deo tuo, & propter ipsam requiem omnia faciens, abstine ab opere servili. Omnis enim, qui facit peccatum, servus est peccati; utinam hominis, & non peccati. Et iterum ibi: Dicitur tibi, ut spiritualiter observes Sabbathum, non quomodo Judæi observant, carnali otio; vacat enim volunt ad nugas atque luxurias suas. Melius autem faceret Iudæus in agro suo aliquid utile, quàm in Theatro seditiosus existeret; & melius femina eorum die Sabbathi lanam facerent, quàm totâ die in Neomeniis suis impudicè saltarent.* Non ignoravit hæc Augustini loca Bellarminus, utpotè quæ ipsemet, ex aliorum objectione tamen, suppeditavit, adque ea respondere est conatus, & tamen hanc scandalosam non erubuit facere Propositionem: *Non tenemur diebus Festis ex præcepto peculiari ad non peccandum, sive ad actum contritionis vel dilectionis DEI.* Quamvis enim aliquo ostendere laboravit responso, hæc Augustini testimonia suæ Propositioni non esse contraria, nihil tamen nisi verba dedit, neque Augustini Sententiam suæ potuit sistere consentaneam. Dum enim ad priora duo loca reposuit, loqui Sanctum Patrem de præcepto Sabbathi, ut est generale præceptum, spiritualiter significatum per Sabbathum Iudaorum; quis non videt, vanum esse hoc estugium? Agnovit ipse, Ius Divinum requisivisse, ut unus hebdomada dies cultui Divino dicaretur, quia non conveniebat, ut servaretur Sabbathum; Itaque Sabbathum ab Apostolis in diem Dominicam esse versum. Quæ igitur ratio moralis ad Sabbathi sanctificationem in Veteri Testamento pertinebat, ea etiam in Novo locum habet quoad diei Dominicæ sanctificationem, ut adeò nullum in utroque discrimen faciat aliquam diversitatem. Ad posterius sic respondet: *Augustinum non velle dicere, absolute melius esse, seu minus malum, die Festo operari aliquid utile, licet tali die prohiberetur, quàm aliud facere peccatum. Pro ratione addit: Potest enim fieri, ut aliquando sit melius, aliquando pejus. Nam minus malum est, die Dominicâ operari in agro, quàm blasphemare Deum; sed è contrario majus malum est, operari in agro die Dominicâ, quàm officiosè mentiri. Et tamen Augustinus videtur velle, minus malum esse, die Festo operari aliquid ex genere suo utile, quàm peccatum aliquod committere. Vult ergo dicere, magis pugnare qualibet peccata cum fine sanctificationis Sabbathi, quàm opera ex se utilia, quæ tamen prohibentur in Sabbatho. Nam finis est quies mentis in DEO, cui quieti magis repugnat quodlibet peccatum, quàm distractio operis corporalis. Et ideo magna est cæcitas Iudaorum, qui abutuntur otio Sabbathi ad multa peccata committenda, ut Augustinus dicit. Etiam si nihil ad hoc Bellarmini responsum addatur, Lector qualicumque etiam Judicio præditus nullâ præviâ Censurâ videt, in luctâ versari Bellarminum, quorum se vertat, ignarum. Videlicet peregrinam augustissimo Doctore ad fingere Sententiam non audent, fateri coactus, ex mente Ejus esse malum minus, die Festo operari aliquid utile ex genere suo, quàm aliquod committere peccatum; & tamen eo elabi se posse existimavit, si absolute id non melius esse vel minus malum dicat, cum nemo non agnoscere debeat, absolute & in se minus*

Tract. 3.  
in Joh.

in psal.  
32.

de Decem  
Chordis,  
cap. 3.

nus malum id esse, eo etiam tempore factum, quo in specie & certas ob causas prohibetur, aliâs autem non prohibitum, sed licitum, imò mandatum, ad vitæ conservationem utile & necessarium, quàm id, quod nunquam licet, & in se nullo non tempore est prohibitum, hominem statu Gratia Divina deiecit, ac spe Beatitudinis æternæ privat. Estque illud è medio *Theologia moralis*, ut hoc Seculo non sine maximo plurimum scandalo, nec minori publicæ rei Christianæ detrimento docetur, desumptum, quod Bellarminus scribere est ausus, *majus esse malum, die Dominicâ operari in agro, quam officiosè mentiri*; quid enim de mendacio, quod officiosum dicitur, ex Augustini mente sit statuendum, infra fortè dabitur occasio ostendendi. Illud nunc saltem addo, hanc Bellarmini Propositionem, *Non tenemur diebus Fests ex præcepto peculiari ad non peccandum, sive ad actum Contritionis vel dilectionis Dei*, à recentioribus Theologia Moralitatis Tractatoribus, etiam laxissimis, quantum ex plurimum evolutione constat, non defendi, sed quasi à nemine scriptam silentio præteriri, non certè aliam ob causam, quàm quod nimis scandalosâ fuit visa, ac sine rigorosiori Examine vix permitteuda, si non planè obelo notanda, & quidem jure meritissimoque suo; utut aliâs non pauca habeant *Theologia Moralitatis* Scriptores moderni, quæ sanctificationi Sabbathicâ non parum incommodant, eamque multis modis impediunt. Notavit aliqua rigorosissimus talium laxitatum Examinator *Sinnichius*, Professor non ita pridem Lovaniensis, ex quo in *Vindiciis Evangelico-Thomisticis* ad alia Decalogi præcepta quædam fuerunt excerpta, observatu dignissima. Juvat nunc ea addere, quæ in specie ad hoc de sanctificatione Sabbathi seu diei Dominicæ præceptum pertinent, ut & hic novitas Doctrinæ circa hoc punctum orbi Catholico magis magisque innotescat. Et quidem ex *Caramuele* dignum censurâ observavit, quod in eorum se innuit propendere placitum, qui desiderant *Dominicas dies à meridie liberâs esse*, & quod, cum Neoterici cujusdam retulisset Sententiam, adferentis, *Puellas excusari ratione pietatis in die Festo suæ, vel aliud opus ad vitandum otium facientes, ne ad fenestras se exhibeant conspiciendas*, indè pro se subintulerit: *Si puella possunt piè operari die Festo ad otium vitandum, & negarriant aut se conspiciendas exhibeant; rustici etiam & mechanici poterunt ad vitandum otium, & ne ludendo aut potitando, pejerandi, blasphemandi, aut rixandi manifesto se exponant periculo, dummodò id fiat clam, domique ad scandalum vitandum*. Ex *Tamburino* sequentia notavit, scribente: *Si Barbitonsor diebus Fests neget suis Parochianis suum laborem, facile à plerisque relinquetur, cum notabili facturâ lucri; quæ ratio militat etiam pro Sutoribus, qui, nisi calceos novos suis Parochianis imponant, ab ipsis facili negotio derelinquentur*. Et iterum: *Arripit mibi sententia Laymanni, qui, cum dixisset, Pictores contendere suam Artem unam esse ex liberalibus, concludit, esse probabile, licere sine magno apparatu die Festivo pingere*. Adhuc semel: *Quoniam scio, eundem Laymannum docere, perpetuo amentibus fas esse, operâ servilia diebus Festivis imponere; idem concessurus esset, propter parem, imò majorem rationem, infidelibus, ut in terminis idem docet Diana, & ideo non improbabilis ea est Sententia*. Addit de suo *Sinnichius*, *Si non improbabilis, procul dubio juxta Tamburini maximas alibi relatas, in Praxi omnino tuta & securâ, imò & sine ullo scrupulo amplexibilis est*. Et postquam hanc Laymanni, & ex parte *Tamburini* sententiam contra naturalem Legis Sabbathicæ moralitatem esse docuit *Sinnichius*, ex eodem *Tamburino*, quid de servis fidelibus circa laborem vel quietem in Sabbatho statuat, porrò ostendit, hunc in modum scribente: *Per duas horas vacare servilibus operis, mortale non esse, est recepta jam nostrâ ætate sententia; quia modicum tempus judicatur duarum horarum spatium, comparatione viginti quatuor horarum*. *Sinnichius* loco censuræ subjungit: *Quid si Herus quispiam habens duodecim servos injungat eis laborem integræ diei, assignando singulis duas horas successive ac divisivè? Nec hunc, nec illos *Tamburinus* reputat mortalis culpæ reos, subdens: Notat Sanchez, mortale non esse, singulis Fests per duas operari horas, quamvis animo fixum teneas, id toto Anno efficere velle, & de facto efficias. Ratio est, quia unus dies Festus non adnectitur cum alio ad hujus materiæ gravitatem efformandam. Non absimili modo advertit Bovacina, Dominum injungentem laborem duarum horarum viginti famulis simul, non peccaturum mortaliter, quia opus unius nequaquam unitur cum opere alterius; idemque erit, si singuli successive per moram modicam in eodem die laborent, etiamsi uno post alterum laborante totus occupetur dies, quia pari modo unius opus cum alio non convertitur*. Quid censuræ loco, ex Augustino

in Saule  
Ex Rege,  
lib. 1. cap.  
107. pag.  
431. & 432

impr:



vid. Ho-  
nor. Fabri  
Apolog.  
Doctr.  
Moral.  
p. 481.

in primis, addat *Sinnichius*, non exscribo, cum cuius attento Lectori non ignotum esse putem, quid circa hanc Philosophiam Anti-Sabbathicam satis crassam advertione & animadversione dignum sit. Id tantum nunc intuper addo, quod ex eodem *Tamburino*, contra Eius impugnatores, *Vincenium Baronem*, Ordinis S. Dominici, nuperus Scriptor, *Lucius San-Marco*, in pro *Tamburini* Doctrinâ Vindiciis, adduxit, hanc proponens Quæstionem: *An, sicut damni gravis timor opera nobis concedit servilia, sic etiam concedat spes lucri notabilis; an scilicet, sicuti, ne vindemiam amittam, die Festo eam facere possim, sic etiam labori possim vacare, quo notabile lucrum mihi conquiram?* Addit pro limitatione, *De lucro extraordinario sermonem facimus, nam secus cuilibet artifice pro diurnâ mercede integrum esset laborare, quod ex hoc capite preciso ei nequaquam concedi certum est.* Respondet autem *Tamburinus*, *Quamvis Swarez & Castropalaus inclinent in Sententiam negativam, affirmativam tamen esse probabilem. Ratio est, quia, ut rectè notat Diana & Sanchez, notabile lucrum amittere, grave est damnum. Adde, non existimandum esse, piam Matrem Ecclesiam velle fideles obligare ad rem oppido difficillimam, qualis est, ob abstinentiam servilium operarum, amittere centum, ducentos, mille, plures aureos, quod certè consequenter esset dicendum, si semel probabilitatem nostræ denegaveris Sententiæ.* Ita nimirum philosophantur Scriptores hodie Anti-Sabbathici, verè Antinomi, plus lucro & damno temporali, quam Divinæ Voluntati in Sabbathicæ sanctificationis exercitio deferentes, digni, qui, dum æternæ quietis prægustum tam viliter æstimant, ac laborem aliquatenus lucrum animæ quieti anteponunt, ab æternâ etiam quiete olim excludantur.

